



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Valerii Reginaldi Bvrgvndi Seqvani E Societ: Iesv,
Praxis Fori Poenitentialis**

Ad Directionem Confessarii, In Vsv Sacri sui muneris ...

Regnault, Valère <1543-1623>

Mogvntiæ, 1617

Libri XXII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78477)

insurgunt in mente cogitationes de modo eiusdem vindictæ: ex cuius gravitate, genus istud peccati iudicandum est mortale esse: nisi defectus plenæ deliberationis excuset, pro ut loco cit. attingit idem Toletus.

127. Secundum statum ira habet in ore, ubi parit clamorem, contumeliam, & blasphemiam. Clamorem quidem faciendo ut vocem extollamus, multa inordinate, & confuse iactantes; contumeliam vero iactando conuicia verborum in proximum, blasphemiam demum, iactando in Deum. Atq; de hac dictum est antea in lib. 18. tract. 2. De contumelia dicitur in sequenti libro 24. commodius, propter affinitatem quam habet cum detractio: ad hanc enim perinde affecta est ac rapina ad furtum ut ibidem tractatur. De clamore illud tantum occurrit monendum quod ibidem Toletus habet: cum ex se veniale peccatum esse: fieri autem mortale ob scandalum.

128. Tertium denique statum ira habet in operis executione: qua ex parte generat rixam: quæ ex Diuo Thoma 2. 2. quest. 41. artic. 1. est quoddam bellum inter priuatas personas percutientes se mutuè ex ira; suoq; genere peccatum esse mor-

tale, patet: tum ex eo quod D. Paulus ad Galat. 5. eam numeret inter peccata carnis, quæ qui agunt regnum Dei non possidebunt: tum quia repugnat charitati & iustitiæ: ut pote spectans eo ut damnum corporale inferatur proximo. Aduerte tamen ex eodem D. Thoma ibidem: ex parte eius qui non est inuasor sed solum defensor, rixam nullum peccatum esse in illo, si non plus repugnet, aut lædat inuasorem quam necessarium sit se defendendum: neque ex odio inuasoris, aut ex ira inordinata id faciat; sed ex ordinato amore sui ipsius: quandoquidem licitum est vim vi repellere cum moderamine, ut dicitur, inculpatæ tutelæ. Item peccatum solummodo veniale esse si in alterutro prædictorum, ipse modicum excedat. Quod si multum excedat peccatum erit mortale. Ex parte autem eius qui est inuasor, non datur excusatio à mortali: nisi illa communis ex defectu deliberationis, aut exiguitatis materiæ seu damni illari: qua ratione à mortali frequenter excusantur rixæ pueriles, & per consequens ab excommunicatione lata in Clerici percussorem.

DEO GRATIAS.

LIBER SEPTIMVS, ET TERTIVS OPERIS VIGESIMVS SECVNDVS.

IN QVO TRADITVR SPECIALIS RATIO
iudicandi de peccatis, habito respectu ad sextum, & nonum Decalogi præceptum.

PRÆFATIO.

Hæc ratio continetur explicatione, tum actuum qui talibus præceptis prohibentur: tum peccati luxuriæ; tum etiam peccati gulæ, quod est ei affine. Complectetur ergo hic liber quatuor capita, quorum primum erit de actibus, qui prohibentur sexto præcepto, Non mœchaberis; secundum de iis, qui prohibentur nono, Non concupisces uxorem proximi; tertium, de peccato luxuriæ; & quartum, de peccato gulæ. De hac autem materia tractatur in Decreto Gratiani causa 32. & 36. per plures questiones: & in Decretalibus habetur titulus De adulteriis, & stupro. Tractatur etiam à D. Thoma 2. 2. quest. 153. & 154. & à pluribus aliis tum Theologis, tum Summulariis; tum etiam Catechistis: quorum nonnullos Sebastianus Medices commemorat in summa de peccatis, tit. 8. quest. 1. quibus accesserunt aliquot recentiores.

CAP. I.

De actibus prohibitis sexto Decalogi præcepto.
Non mœchaberis.

SVMMARIVM.

- 1 Actus prohibiti sexto præcepto Decalogi.
- 2 Cogitationum turpium exclusio à peccato ob defectum voluntarij.
- 3 Excusatio pollutionum nocturnarum ob eandem causam.
- 4 Ad quid reneatur puella cum opprimitur.
- 5 Contactus carnales sic de se indifferentes sunt, ut contigat plurimum peccata esse mortalia; & quando contingat; & cuius speciei sint.
- 6 De his que sunt non carnales, sed honeste delectationis causa, ac de his que sunt inter coniuges.
- 7 Iudicium de aspectibus turpibus quando sint, aut non sint peccata mortalia.
- 8 Iudicium de verbis turpibus siue prolatis, siue auditis.

Sexto Decalogi præcepto prohibetur, ut notatum est à D. August. quest. 71. in Exodum non tantum adulterium: sed etiam omnis carnalis actus voluntarius: siue sit copula, siue pollutio carnalis, siue actus ad copulâ aut pollutionem carnalem disponens: hicq; rursus; siue sit exterior, siue interior, atque exterior; siue sit factum aliquod; nimirum libidinosus aspectus, aut contactus, puta osculatio, aut aliud eiusmodi; siue etiam aliquod verbum; ut sermo impudicus & cantilenæ lasciuæ. Interior vero; siue sit mentis, ut cogitatio libidinosa: siue voluntatis, ut propositum committendi actum carnalem, & deliberata de eo complacencia. Nam ad actum etiam interiorum libidinosum, prohibitio huius præcepti extendit, patet per illud Matth. 5. Audistis, quia dictum est antiquis, Non mœchaberis. Ego autem dico vobis, quod omnis qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Patet adhuc ex eo, quod complacencia in imaginatione rei turpis, sit plane similis ei quæ contigit in eisdem rei vfu, ut ostenditur à simili: quia ex imaginatione occisionis, vel crudelis tractationis inimici, afficitur quæ eadē ratione

ratione qua solet affici ille, qui habens inimicum in sua potestate, ipsum male tractat. Vnde intelligitur similem quoque esse in malitia. Nec obstat quod simplex complacencia sit affectus inefficax: quia inde non impeditur rationem peccati, pater ex inuidia, qua peccatur dolendo de bono, & gaudento de malo proximi.

Excusatio à peccato transgressiois sexti precepti.

SECTIO I.

NOTandum est autem pro praxi, in huiusmodi actibus rationem peccati cessare, si cesset ratio voluntarij. De quo late Salas 1. 2. tom. 2. tract. 3. disp. 6. sect. 1. & 2. Sufficit autem pro praxi quod nullum peccatum sit nisi voluntarium. Vnde intelligitur primo, à peccato excusari turpes cogitationes, quas aliqui patiuntur omnino contra voluntatem suam, ita vt nolint eas, nec præbeant eis occasionem, vacando operi, ex quo nascantur. Quamquam etiam vacando tali operi, (dummodo absit periculum consensus) excusatio esse potest, si id ipsum opus sit de felicitate, vt adire confessiones, atque exercere ipsum incumbat ex officio, vel ex necessitate ad vitandum aliquod notabile damnum, ex eiusdem omissione incurrendum in persona, aut in bonis externis. Pro quo Ioan. de Salas in seq. sect. 7. varios authores adfert. Vacando autem rei illicitæ, ad licitæ quidem sed nullatenus necessariæ, non censetur iusta adesse excusatio: quia nulli peccatum proprium debet patrocinari.

Intelligitur secundo, à peccato excusari pollutiones quæ in somno contingunt, nisi in vigilia procuratae sint per cibos calidos, aut per potum vini meri, aut per turpes cogitationes voluntarias, aut per certam corporis compositionem in lecto, ex qua pollutio nasci solet. Vbi aduerte si talia fiant ea intentione vt ex pollutione delectatio carnalis habeatur, peccatum mortale committitur; voluntarie scilicet carnalem delectationem desiderando in sua causa. Sin fiant ob aliam finem, neque ipsa sint de se mala, finisque bonus sit & honestus (qualis censetur releuatio ab aliquo morbo, vel liberatio à carnali stimulo) excusationem à peccato esse posse: non obstante periculo pollutionis; dummodo huic aduenienti non adhibeatur consensus. Qua dere Nadar. in Enchir. cap. 16. numero 17. nosque in sequenti cap. tertio, cum de molitite.

Intelligitur tertio, carnalem copulam per vim extortam excusari à peccato (adde & contingere sine violatione virginittatis, vt ex multis Patribus per aliquos Canones Gratianus, 32. quest. 5.) si persona quæ vim patitur non consentiat voluntate deliberata ad actum ipsum. neque in eam delectationem quæ sensu percipitur in tali actu. Vbi aduerte non requiritur ad istiusmodi excusationem, vt delectatio non sentiat in parte iustitia; quia id non est in hominis potestate, cum delectatio eiusmodi sit naturalis: requiritur vero vt voluntas, sicut potest, cum sit libera, non consentiat de liberate in eam.

An autem in puella quæ opprimitur, requiratur vt propriis manibus, aut clamoribus resistat, repellendo à se conantem opprimere, difficultas aliqua est. De qua Nauarri opinio est in Enchir. cap. 16. num. 1. eam non teneri manus iratas iniicere in inferentem vim, nec clamore se defendere (et si non probet dictum Soti lib. 5. De iustitia & iure, quest. 1. art. 5. quod talis non teneatur manibus, aut aliis membris suis resistere) dummodo non componat se, accommodetque ad obsecrum actum.

Cæterum videtur rationi consentaneum requiri, vt clamet, si clamando possit violationem vitare, sine magno notabili que damno suo: quale contingeret si oppressor mortem ei minaretur, si clamet. Idem iudicium est, si nihil proficeret clamando, vt existens in sylua; vbi ex clamore nullum auxilium sperare potest: aut si ex nimia verecundia clamare non audeat. Similiter vt propriis manibus, aliisque corporis partibus resistat; neque vilo modo componat, accommodetque se ad turpem actum illum, requiritur (nisi verecundia nimia, aut iustus timor damni notabilis, puta mortis, infamiae, aut amissionis bonorum omnium excuset) merito videtur: quia per talem resistentiam debet se munire aduersus periculum consentiendi in turpem actum: ac tenetur quantum potest impedire proximum, ne flagitium perpetret. Sive

hoc enim sit illud negligere sine proprio notabili damno, vnde excusationem à peccato habere valeat, nulla ratione apparet.

Porro vari studio à puella vitandi sunt contactus, per se impudici quos patiendo, exponitur perinde periculo pollutionis, ac eos agendo: non enim tantum actiuus, sed etiam passiuus contactus impudicus, illam proximè excitat; ideoque vitandus est sub mortali iuxta post dicenda.

De osculis, & aliis contactibus turpibus.

SECTIO II.

NOTandum est præterea quoad actus præuios ad opus carnis, nempe quoad oscula, amplexus, ceteroque tactus turpes; eos non quidem semper, vt plurimum tamen, esse peccata mortalia.

Quod qua ratione accipi debeat, sequentibus propositionibus declaratur.

Prima est: Tales actus esse ex suo genere indifferentes. Ratio est: quia consistunt in sensus functione, quæ tantum ex fine in quem vsurpantur, bona est vel mala: ita vt nihil obstat quin sint liciti, si fiant non quidem affectu concubitus illiciti, sed ad testandam signi externo benevolentiam secundum honestam patriæ consuetudinem; aut certe ob necessitatem, qualis est medicationis infirmis; aut ob aliquam aliam rationabilem causam: neque deprauetur circumstantia aliqua mala: prout deprauari contingit, si non seruetur decorum, aut detur scandalum, sicut dari potest ab Ecclesiastico, maxime à Religioso, osculante sceminam, etiam tantummodo ad amicitiam erga eam testandam. Quod si iidem tactus fiant praua intentione (quod vnus probabiliter suspicans in altero, tenetur ex charitate eisdem contactus quantum commode potest declinare) peccata sunt mortalia aut venialia, eadem ratione qua intentio ipsa prima fuerit mortaliter, aut venialiter mala: prout deduci potest ex dicto illo Domini Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam (intellige extra matrimonium) iam mæchatus est eam in corde suo.

Secunda propositio: Oscula, amplexus, aliue id genus actus, quos coniugium non cohonestat, si deliberate fiant, animo oblectandi se carnaliter, seu potiundi venerea delectatione ex eis confluente, peccata sunt mortalia. Ratio est: quia tales actus cum tali delectatione ordinantur natura sua ad concubitum tanquam ad finem, prout patet: tum ex eo, quod bruta eiusmodi tactibus vtantur cum se ad coitum præparant: tum ex eo, quod natura in iisdem tactibus voluptatem apposuerit sicut in coitu: illique ad instar huius, immutent corpus, ipsumque delectent. Iam vero finis malus, malitia sua inficit media ad ipsum ordinata. Cum igitur concubitus extra matrimoniū malus sit mortaliter, tactus quoque ad eum ordinati erunt mortaliter mali. Ita sentientes authores magno numero refert Thomas Sanchez lib. 9. De matrimonio, disput. 46. num. 7. Et ad confirmationem facit, quod Apostolus ad Galat. 5. vers. 19. inter peccata quæ excludunt à regno cælorum ponat impudicitiam: quæ, vt habet D. Thomas 2. 2. quest. 154. art. 1. ad 5. pertinet ad actus instantes actum venereum, quales sunt oscula, tactus, & alia huiusmodi.

Locum habet autem hæc propositio in eius generis tactibus, sine ij fiant circa partes secretiores corporis, sintque de se impudici: siue circa alias quascumque, nec sint de se impudici. Id quod Nauarri. in Enchir. cap. 16. num. 11. attingens; addit habere locum iuxta doctrinam D. Thom. & interpretum ipsius quantumuis quis tales actus vsurparet circa personam quam desiderat aut sperat accipere in coitum, si nondum acceperit. Porro in istiusmodi peccato non contingit (sicut in aliis pluribus) excusatio à mortali per materiæ leuitatem. Ratio est, quia omnis voluptas venerea extra matrimonium captata, ordinatur de se ad finem mortaliter malum, puta fornicationem, quæ in talem voluptatem influit malitiam suam, tanquam finis in medium ordinatum ad ipsam. Vnde cum in fornicatione non detur modicum excusans à mortali, neque datur in eadem illa voluptas. Ad cuius argumenti vim intelligendam, aduerte voluptatem veneream dependere ex motu quo substantia seminis incalcens ex commotione spirituum genitorum descendit ad

GINAI
RAXIS
P. P.
EV

partes obscenas: qui descensus suapte natura ad naturam ad actum generandi, medianse feminis effusione, mortaliter (si per matrimonium non cohonestetur) malum, tanquam fornicarium.

Tertia propositio: Quando tactus, amplexus, aliaque id genus ordinantur ad illicitum concubitum, sunt in confessione aperienda cum suis circumstantiis, tanquam peccata pertinentia ad eandem speciem, ad quem pertineret concubitus inter personas flagitium eiusmodi consummantes; nempe ad incestum, si sint personarum sanguine iunctarum; sin sint Deo per votum castitatis dicata; ad sacrilegium: & sic de ceteris. Cum enim libidinosus tactus est sui ipsius ad mollietatem; cum vero bestiarum, ad bestialitatem. Hęc propositio (pro qua multos refert Ioan. de Salas 1. 2. tom. 2. tract. 3. sect. 22.) ex eo patet: quod tales actus hęc ipso, quod ordinantur ad carnalem copulam, malitiam eius participant tanquam deriuatam ex fine ad media. Ceterum circa eandem ac ceteras propositiones notandum est, id quod loco cit. a num. 10. Sanchez auctoribus allatis habet: tactus de se impudicos, quales sunt partium verandarum, aut verendis proximarum, vsurpatos sine necessitate, nunquam excusari a mortali: vt nec fornicatio excusatur. Ratio, quia pręter indecentiam, coniunctum habent periculum maximum fornicationis: cum ex natura rei tendant ad delectationem veneream, illamque valde excitant. De eo autem quod ille subiungit locum esse excusationem ex materia paruitate in nonnullis actibus: eius generis, si careant tum desiderio delectationis venereę, tum periculo consensus in illam. De eo inquam, quidquid sit in speculatione, dubium non est in praxi, quoslibet tales esse improbandos, ac curandum serio ne transeant in consuetudinem, quę vix caret periculo inducendi in mortalem consensum: & qui amat periculum peribit in illo, Ecclesiastici 3. Cui periculo maxime obnoxius esse iudicandus est ille, qui ex ea experientia, quam de sua infirmitate habet, nouit consensum turpitudinis venereę se trahi solere oblatu eiusmodi occasione.

Quarta propositio: Quando tactus, amplexus, &c. sunt non libidinosę, sed honestę delectationis causa inter personas aliquas, de quibus nequit suspicio esse turpitudinis, non sunt peccata, saltem mortalia. Hęc est Caietani in summula, verbo Impudicitia, & Nauarri in memorato num. 11. vbi excusat eos qui causa honestę cuiusdam delectationis (ex amore scilicet suauitatis etatis, ad eum modum quo solent nutrices infantulos) tangunt, osculantur & amplectuntur pueros, aut puellas, cognatos aut cognatas. Verumtamen quidquid item sit in speculatione, id in praxi videtur cauendum ob periculum vltioris consensus in libidinosam delectationem, vel etiam in pollutionem; ratio habita alicuius temperamenti & dispositionis corporis.

In cuius rei gratiam aduerte prædictos actus etiam si proueniant ex honesta amicitia (vtpote fundata in consanguinitate & affinitate, aut etiam in aliqua societate, seu vitę instituto laudabili) non coerceri tamen termino eiusdem amicitię, fouendo coniunctionem animorum, sed vltius cetero desiderium coniunctionis corporum, ad perceptionem voluptatis venereę, posita in feminis resolutione; ad quam talis actus tanquam dispositiones & pręambula tendunt natura sua: vt patet ex iis quę in bestiis contingere notantur. Pro maiore autem intelligentia aduerte amplius, duplicem ex prædictis actibus delectationem posse prouenire: vnam libidinosam, quę sentitur in carne cum spirituum generationi subseruiens, cuius commotione circa partes libidinosas: alteram qua propriij vel alieni corporis tactus placet ob solam proportionem, & naturę conformitatem rei tactę, cum organo tangendi: hęcque est cui conuenit honestam esse posse: non autem illi, nisi per matrimonium cohonestetur.

Quinta propositio: Si coniuges, tales tactus inter se exercent delectationis tantummodo causa peccant solum venialiter. Ratio est: quia concubitus ipse ad quem illi referuntur, inter coniuges (quod Sanchez auctoribus magno numero in eam sententiam citatis tractat in præcedenti disput. 11.) non est peccatum plusquam veniale: quantumcumque fiat carnalis delectationis solum causa: quia malitia eiusmodi tantum est peruersionis finis: qua coniugalitatis copula prin-

cipaliter exercentur propter delectationem, quę adiuncta est illi vt quid accessorium. Quale exercitium aduerfatur quidem rectę rationi: non tamen adeo grauiter, vt sufficiat ad mortale: præsertim cum id ipsum non obflet quin copula ipsa contineatur limitibus matrimonij: ac de se ordinetur ad prolis generationem.

Iam allatam propositionem posse etiam locum habere in sponfo, & sponsa de futuro (nisi sponsalia essent conditionata, necdum implera esset conditio) ex eo doceri videtur, quod etsi copula non sit eis licita pro illo statu, licitum est tamen vti præambulis: quia sicut matrimonium cohonestat copulam: ita sponsalia (quę matrimonij initium sunt) cohonestare debent tales tactus: præsertim cum per illos amor foueatur in ordine ad matrimonium inueundum: atq; contractus de futuro matrimonio sponsalium nomine significatus det ex natura rei facultatem ad actiones ordinatas ad coniugalem copulam. Id quod a Caiet. traditum 2. 2. quęst. 154. art. D. Nauar. commendat in Enchir. cap. 16. num. 12. plurimiq; sequuntur relati a Iohanne de Salas in memorata disp. 6. sect. 26. Sed vt Nauar. ipse admonet, requiritur vt in vltimo eiusmodi præambulorum cautela sufficiens adhibeatur, ne inde contingat pollutio aut periculum probabile illius incurrendę, aut in illam consentiendi, aut etiam in copulam coniugalem ante matrimonium re ipsa contractam. Quando enim est tale periculum, tactus semper sunt illiciti inter quoscumq; fiant, & quoniam raro contingit tale abesse, quando sponsus & sponsa in secreto loco se osculantur, tangunt & amplectuntur, valde expedit tales opportunitates eis nõ permittere, donec matrimonium contraxerint, vt idem Nauar. merito addit. Quę eadem aliis adhuc citatis habet Sanchez in lib. 9. De matrim. disput. 46. quęst. 4.

Addens inter cetera, num. 52. quod etsi amplexus & oscula habita inter sponsum & sponsam, in signum tantum benevolentię ac sine periculo pollutionis, non sint peccata plusquam venialia: tactus tamen impudicos, seu partium verandarum, aut eis proximarum, in eis eisdem, peccata esse mortalia: quia cum proximi sint copulę, illis tantum licent, quibus copula tunc temporis licet, hoc est, solis coniugatis: quandoquidem tales suapte natura ordinantur ad feminis effusionem, illicitam extra matrimonium quidquid de eo facta sit promissio: sicut illicita est acceptio rei alienę inuito domino: etiam si ab hoc se illius venditione facta sit promissio. De quo Ferdinandus Rebellus De oblig. iustitię par. 2. lib. 3. quęst. 19. sect. 2.

Aduerte obiter quod habet de Salas in fine sectionis 16. sponsam de futuro non teneri ex iustitia permittere sponfo supra dictos tactus licitos, neque eos facere ipso poscente: quia promissione sua obligauit se tantum ad matrimonium suo tempore contrahendum.

De aspectibus turpibus.

SECTIO III.

Idem esse de aspectibus, ac de tactibus turpibus iudicium ferendum, quoad rationem peccati, est quidem multorum sententia quos refert Sanchez in lib. 9. De matrimonio disput. 46. quęst. 2. Sed videtur diuersitas agnoscenda, sicut etiam Sanchez ipse agnoscit cum Caietano in verb. impudicitia & in verbo Delectatio. §. Secundum an delectatio. & in tom. 1. Populi. tract. 14. dub. 3. & cum Nauar. in Enchir. cap. 16. num. 11. ac nonnullis recentioribus. Cum enim turpis tactus suapte natura ordinatur ad carnalem copulam, consensus in illorum delectationem sensibilem, est quasi inchoatio quędam copulę, & est consensus in delectationem de eadem. Turpes aspectus vero, cum ad veneream non adeo ordinantur (constat enim non excitare tantopere ad talia appetitum sensitiuum, quanto pere tactus turpes excitant) non debent tam facile, quam illi de mortali damnari. Pro quo de Salas in præced. sect. 23. nu. 153. multos citat.

Ceterum pro praxi videntur propositiones hæc tenendę. Prima. Turpes aspectus, si vsurpentur ad delectationem veneream, peccata esse mortalia eiusdem speciei, cuius est ipsum opus venereum. Hęc patet ex dicto Domini Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam męchatus est eam in corde suo. Vnde confitendo de illis, excipere oportet circumstantias, perinde ac de operibus

confitendo

confitendo, sicut in præced. sect. 2. propol. 3. dictum est de tactibus turpibus.

Secunda. Eosdem quoque usurpatos ob solam curiositatem, cum fuerint valde turpes (vt cum sine virginitate necesse est vir aspicienda femina vel contra) cenferi peccata mortalia. Ratio est: quia valde aduerantur naturali honestati: vnde ex Genesi cap. 3. primi parentes quantumuis matrimonio coniuncti, statim a cognouerunt se nudos esse, consuerunt folia ficus, & fecerunt sibi perizonata, consulentes scilicet pudori. Deinde quia illi valde periculosi sunt: vt pote valde efficaces ad prouocandum veneream libidinem, vt constat ex Dauide viro alioqui sanctissimo, qui inspecta muliere nuda lauante se, ita in illius concupiscentiam exarsit, vt nullo Dei timore reuocaretur à flagitio non tantum adulterij, sed etiam homicidij, ex lib. 2. Regum cap. 11. Et ratio est: quia talis aspectus facit vt phantasia apprehendat rem aspectam, non solum vt delectabilem visui, sed etiam vt delectabilem tactui carnali, ex qua phantasia imaginatione, affectus ad carnalem delectationem sequitur naturaliter, commotioque spirituum, & ex ea descendit feminis ad partes obscenas, & rebellio in iisdem. Ad hoc vt curiosus aspectus solite vitandi sint tanquam facile perducentes ad lapsum. Quod expertus Dauid, in Psalm. 118. orat: Auerte oculos meos ne videant vanitatem. Et S. Iob, vir perseuerans in innocentia sua pepigit foedus cum oculis suis, ne vnquam cogitaret de virgine, ex eiusdem historia cap. 21.

Tertia propositio. Partium non verendarum aspectus, si ob solam curiositatem fiant absque desiderio voluptatis venereæ, aut periculo notabili consentiendi in eam, non esse peccata de se mortalia. Ratio est: quia turpitudine illorum non est tanta de se, nec illi tantopere de se ad veneream libidinem incitant, vt malitiam mortalis suo genere esse, cenferi debeant. Vnde intelligitur quid iudicandum sit de iis qui consentunt se aspectus turpes habuisse; aut occasionem habendi aliis dedisse: sine intentione tamen consentiendi in veneream libidinem, siue suam siue alienam. Nimirum eos non excusari à mortali, si nihilominus periculum talis consensus adfuerit suum in ipsomet. Nam Ecclesiast. 3. Qui amat periculum, peribit in illo: siue in aliis, cum quis dans alteri occasionem talis ruina, vacando rei quæ nec necessitatem, nec pietatem habet, peccet: contra charitatem in re notabili. Pro quo videnda sunt de scandalo actiuo tradita in præced. lib. 14. in priore parte cap. 4.

Atque hinc ratione periculi, ille qui coeuntes coniuges aspiceret tantum ex curiositate, mortaliter peccaret ob vehementem incitationem ad libidinem, natam inde sequi. Item eadem de causa mortaliter peccaret coniuges coeuntes in loco publico. Itemque ob eandem rationem mortaliter peccaret vir qui feminam nudam curiose aspiceret, aut feminam quæ virum. Quod si vir virum, aut femina feminam taliter aspiciat, minor quidem indecentia est: potest tamen mortale esse ratione consensus in voluntatem vel in actum turpem, vel ratione scandali.

Aduerte autem periculum quod in hac re non est de se notabile, cenferi posse notabile respectu aliquorum infirmorum. Et ita licet demus quod Sanchez habet in cit. disput. 46. num. 27. non esse mortale si vir respiciat virum nudum, aut femina feminam nudam, neque (quod idem in num. 31. addit.) mortale esse aspiciere brutorum concubitum, vel partes ipsorum foedas turpiter commotas; tamen vnumque negandum est, si adeo vehemens fuerit aspectus propeusio ad libidinem, vt inde venerea delectatio in ipso redundet.

Cuiusmodi infirmitate, cum ex mala educatione prauaque consuetudine plerique hodie laborent, non sunt tales aspectus à Confessario facile tolerandi, tanquam excusato à peccato mortali ex materia leuitate; vt nec peccatorum nudationes in feminis, per quas ex præbent iisdem infirmis occasionem ruina: nam esto eiusmodi nudationes non sint de se mortaliter malæ (quod declarat Cas. et. 2. q. 169. art. 2. ad 1. dub. um. vers. Ad obiectionem autem, &c.) nihilominus tamen vsurpatio earum cum tam graui proximi periculo ac damno, non potest (nisi forte per ignorantiam inculpabilem, aut iustam aliquam necessitatem) à mortali excusari. Id quod Caiet.

non negaret: cum ibid. addat, quod vbi talis nudationis consuetudo non est, ea inhienda sit, ac cito extirpanda ne crescat: quoniam habenda est ratio ne animi iuuenum mollescant.

De verbis turpibus.

SECTIO IV.

DE grauitate peccati quod committitur loquendo, aut audiendo, aut scribendo turpia verba dicendum est, sicut de grauitate illius quod committitur aspectu turpi: nempe ex adiuncta voluptate venerea notabili, aut eiusdem notabili periculo mortale esse. Contingens autem ex sola animi leuitate, & vani tantum cuiusdam solati gratia, percepti ex artificio dicendi, sine affectu delectationis venereæ peccatum esse tantum veniale, nisi ipsum aggrauetur circumstantia scandali mortalis; vt fieri potest quando præsentis propensio ad libidinem, ac in se debiles, & verba sunt valde impudica. Atque istud quod dicitur de vsu verborum turpium, dicendum est eadem ratione de nutibus & gestibus atque cantilenis turpibus.

Agit aliis citatis Sanchez plenus de his in memorata disput. 46. quæst. 3. sed cum sit res ex se satis clara, sufficere addere pro praxi, quæ ex iisdem ipse bene infert. Primum est: excusari à mortali eum, qui simulate præ se fert læticiam, etiam ridendo, dum turpia dicuntur, aut gestibus simulantur, ne inurbanus habeatur, aut de hypocriti damnetur, aut scematis laceffatur, interea carens omni venerea delectatione notabili, ac illius periculo. Non excusaretur tamen à mortali si in eo, ipse esse causa cur alii mortaliter peccarent, aut exponerentur probabili periculo peccandi mortaliter; vt si præstaret autoritatem ipsis verbis aut gestibus turpibus, ita vt eis tanquam cohonestatis risu ipsius, iidem alij se carnaliter oblectare non dubitent. Nec etiam excusatur si propterea rideat, quod exiffimari velit deditus venereæ turpitudini; & ea de causa laudari ac magnificari: quoniam de re mortali gloriam querere peccatum est mortale ex doctrina quam tradit Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 12.

Secundum est: peccatum mortale esse, comœdiis interesse, in quibus res turpes representantur, aut modus representandi est turpis: si quidem audiuntur ob carnalem delectationem inde prouenientem, aut ob curiositatem quidem solam, sed coniunctam cum periculo notabili consentiendi in eiusmodi delectationem, aut certe cum scandalo: vt contingere potest maxime Ecclesiasticis; qui eo præsertim nomine prohibentur talibus nugis interesse. De consecr. dist. 5. cap. Non oportet, 2. & de vita & honest. Cleric. cap. Clerici, 2. Multo vero magis peccare censendi sunt qui tales comœdias aut componunt, aut exhibent, cum sint causa ruinae multorum. Nec refert quod eam non intendant: quia dant ei sufficientem causam.

Tertium est: pari ratione peccare mortaliter cantantes aut audientes cantari cantilenas, plenas lasciuia ad veneream prouocantibus. Quartum est: idem esse dicendum de pingentibus imagines lasciuas, vt feminam detectis verendis aut velo transparente operis. Quintum est: lectione librorum tractantium de turpibus amoribus, peccatum mortale committi si in ea intendatur voluptas venerea, consurgens ex apprehensione rerum turpium, de quibus idem libri tractant: aut si non intendatur quidem voluptas venerea, fiatque lectio ex curiositate tantum; sed cum probabili periculo consentiendi in talem voluptatem enascentem. Ob quod periculum in regula 7. Indicis editi iussu Concilij Tridentini omnino tanquam inuehentes bonorum morum corruptionem prohibentur libri, qui res lasciuas & obscenas ex professo tractant, narrant, aut docent, atque iisdem tum legi tum haberi prohibeatur sub mortali in bulla Pij IV. eidem Indici præfixa. Permittuntur tamen in eadem regula, antiqui ab ethnicis conscripti ob sermonis elegantiam & proprietatem: sed cum restrictione vt pueris nulla ratione prælegantur.

**
**

CAPVT II.

De actibus prohibitis nono Decalogi præcepto, Non concupisces uxorem proximi sui.

SVM MARI VM.

9. Concupiscentia rei venerea prohibita nono præcepto, est in appetitu sensitivo mortaliter mala, per consensum voluntatis in eam.
10. Cogitationis seu delectationis morose tres modi.
11. Peccata, quæ contra nonum Decalogi præceptum committuntur, matrimonio non obstant.
12. Explicatio difficultatis de delectatione orta ex cogitatione copula coniugalæ, si ne peccatum mortale, siue in coniugibus siue in sponsis de futuro, siue in viduis.
13. Consensus in concupiscentiam rei venerea cum est efficax, peccata constituit diuersæ speciei: non item cum est solummodo simplex complacentia.
14. Id illustratur exemplis, ac quadam specialiter notantur de habente votum castitatis.

NONO Decalogi præcepto, Non concupisces uxorem proximi tui; explicite quidem, vt hæc verba satis dicant, tantum prohibetur concupiscentia rei venerea; sed implicite prohibetur quoque concupiscentia voluptatum earum quæ eandem veneream excitant: vt crapula, iuxta illud, quod Ezechielis cap. 16. vers. 49. in causas iniquitatis Sodomæ ponitur saturitas panis; itemque ebrietas, iuxta illud ad Ephes. 5. Nolite inebriari vino in quo est luxuria: vnde nobis propositum est in sequenti cap. 4. dicere de peccato gulæ (cuius species sunt crapula & ebrietas) per respectum ad ipsum præceptum nonum Decalogi.

Sciendum est autem concupiscentiam voluptatis venereæ, alteriusve illicitæ duplicem esse; vna enim est solius voluntatis complacentia, quæ hoc præcepto non prohibetur proprie, quia sexto præcedenti iam est prohibita: sicut quinto voluntas occidendi, & septimo voluntas furandi, altera vero est appetitus sensitui concupiscentia, quæ hic prohibetur proprie. Nam sicut præcedentibus præceptis ostenditur quomodo voluntas humana debeat actus exteriores dirigere: ita duobus postremis ostenditur quomodo eadem voluntas debeat gubernare appetitum ipsum sensitivum. In quo quamuis ratio peccati non habeat locum quatenus vsus rationis præuenit, tamen quatenus subiacer imperio voluntatis (iuxta illud Genes. 4. Sub te erit appetitus eius & tu dominaberis illius) in concupiscentiis ipsius peccatum mortale non minus esse potest, quam in exterioribus actionibus: nimirum per voluntatis in eas consensum, qui hoc nono, & sequenti decimo præcepto prohibetur per verba. Non concupisces: quorum proinde idem est sensus, ac illorum quæ habentur Ecclesiastici 8. Post concupiscentias tuas non eas, & à voluntate tua auertere.

Modi quibus peccatur contra nonum præceptum Decalogi.

SECTIO I.

SOlet autem eiusmodi peccatum à Theologis vocari cogitatio aut delectatio morosa. Contingit vero tribus modis. Primus est, quando ratio animaduertit appetitum sensitivum versari circa rem illicitam, & voluntas id approbat; tuncque vocatur cogitatio & delectatio morosa positiva, & aperte peccatum est mortale, quando illud, circa quod appetitus ipse versatur, res est mortaliter illicita. Quam esse communem Theologorum opinionem testatur Nauar. in Ench. cap. 11. num. 9. Eos magno numero refert D. Salas 1, 2. tomo 2. tract. 3. disp. 6. sect. 4. num. 45. Probatur vero, tum per cap. Hinc etenim, §. Ponderosus, distin. 49. congruenter verbis Domini, Matth. 5. Qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo. Tum etiam ratione, quia sicut peccatum est, exhibere membra exteriora seruire immunditiæ, ex cap. 6. Epist. ad Rom. vers. 19. ita etiam est exhibere appetitum sensitivum seruire immunditiæ, præsertim cum idem appetitus, efficacius quam membra, promoueat voluntatem.

Secundus modus est, quando præluce in intellectu voluntas huiusmodi illicitos motus appetitus sensitui aduertit, nec repellit: etiam si eos non approbet expresse: Etenim vt peccatum est illum approbare, sic & illum non impedire cum possis, ac tenearis; perinde scilicet ac peccatum est gubernatori, vt nauem submergere, ac & submersionem illius non impedire cum possit, & teneatur. Tale peccatum autem vocatur cogitatio morosa negatiue. Quod vt fit mortale, tres conditiones requiruntur. Prima est: vt homo non obiter sed plene aduertat illud quod mente versat, esse malum legi Dei contrarium: ita vt semiplene tantum (& multo magis nulla ratione) ad id animaduertens etiam si per integrum diem (ex Caiet. in verbo Delectatio, sub initium, & Nauar. in Ench. cap. 11. num. 9.) perferret in eiusmodi cogitatione, non censetur peccatum mortale committere: præsertim si omnino reiecit, aduertens illius malitiam. Secunda conditio est, vt quis possit reprimere tales motus: nam si non possit, sufficit conatum ab eo adhiberi ad explorandum, an reprimere possit nec ne: ac comperto quod nequeat, censetur pati eisdem motus, non autem agere. A quibus nihilominus abhorreret oportet, monente Sapiente Ecclesiast. cap. 21. Quasi à facie Colubri fuge peccata. Tertia conditio est, vt eos ipsos motus reprimere teneatur: prout tenetur cum ad id periculum ne voluntas eis consentiat. Cum nostro conatu autem in ea re, necessarius diuini auxilij concursus est humiliter implorandus, per illud Psal. 6. Miserere mei Domine quoniam infirmus sum: aut illud Isaia 38. Domine vim patior, responde pro me aliuve simile. Cetera ad hunc eundem modum spectantia, nota esse possunt ex dictis in præced. lib. 11. cap. 5. & lib. 15. cap. vlt. obseruat. 6.

Tertius modus est quando quis delectationem desiderat sub conditione licita, delectaturque; interea. Quamuis enim desiderium non sit tunc illicitum: delectatio tamen consequens, est plane illicita: vt cum quis cogitat si illa mulier non nupsisset, acciperem illam in uxorem, & interea delectatur in illius concupiscentia. Ratio est, quia desiderium quidem admittit conditionem, cum futura etiam, & absentia desideratur: sed delectatio est se absoluta, ac sine vlla conditione: cum homo non nisi de præsentibus delectetur. Eadem ratio est, cum vidua cogitat de actibus coniugij præteritis, vel maritus de uxore absente. Quamuis enim liceat desiderare huiusmodi actus matrimonij absentes: tamen si confluat delectatio, non quidem absens, sed iam præsens in appetitu, oportet illam reuocare tanquam alienam ab honestate coniugali; prout docuimus in cit. cap. 5. regula 6. & late tractat Sanchez in lib. 9. De matrimon. disp. 44. & 47. Ex quo pro praxi de peccatis quæ non obstant matrimonio contra nonum præceptum committuntur, addenda sunt nonnulla si prius obiter monuerimus posse aliquos ab eiusdem præcepti transgressione mortali excusari per ignorantiam probabilem: propterea quod concupiscentiæ per ipsum prohibita malitia, naturali ratione difficulter cognoscitur: prout satis indicant illa D. Pauli verba ad Rom. 7. Concupiscentiam nesciebam, nisi diceret lex: Non concupisces. Quocirca si quis vel retinuit turpes cogitationes, vel delectatus est in eis, existimans non esse peccatum mortale, si que sciuisset esse, nullatenus censisset, excusatur à peccato mortali. Postquam tamen admonitus est, desistere tenetur sub peccato mortali.

De peccatis quæ contra nonum Decalogi præceptum committuntur, matrimonium minime obstat.

SECTIO II.

MATRIMONIUM spectari potest, vel vt præsens vt in coniugibus; vel vt præteritum, vt in viduis; vel vt futurum, vt in sponsis de futuro. Non obstante igitur matrimonio, contra hoc præceptum peccat mortaliter coniugis, qui in actu coniugali delectatur carnaliter in alterius viri, aut foeminae cogitatione, qua cogitat se ei copulari. Ita habetur ex D. Anton. 3. par. tit. 1. cap. 20. §. 1. & ex Syluestro in verbo Debitum, quæst. 2. Ratio vero est, quia egreditur in eo limites matrimonij; & ideo peccatum luxuriæ committit eius speciei, cuius esset illud quod committeret si carnaliter copularetur cum persona taliter cogitata: actus enim internus & externus eiusdem speciei sunt, cum tendunt ad idem obiectum, neque ex circumstantiis est varietas.

Quamuis

12. Quamuis autem magna difficultas sit; An mortaliter peccent coniuges qui morose delectantur in copula cogitata tanquam præfenti, dum absentia aut locus, vel tempus non patitur eam exerceri (de qua re in vtramque partem Sanchez lib. 9. De matrimonio, disput. 44. quæst. 1. authores refert magno numero) negantem tamen vt bona ratione fultam, tenere possumus sicut tenuimus in memorata regula sexta. Neque enim grauior est culpa in coniugibus de copula coniugali cogitare ob delectationem carnalem, quam copulam ipsam actu exercere ob eandem delectationem solam. Illud autem non est peccatum plus quam veniale, quia non habet de se aliam peruersitatem, quam finis indebiti: nempe quod pro sine actus, statuatur id, quod tantum est illi accessorium. Quo argumento probari pariter potest, quod multis pro se citatis asserit de Salas in seq. sect. 25. nimirum aspectus, amplexus, oscula, & colloquia a coniugibus inter se vsurpata ad captandam voluptatem veneream absque animo perueniendi ad copulam, non esse peccata mortalia; nisi interueniente notabili periculo pollutionis aut consensus in eam, quo casu culpa esset mortalis ex circumstantia mortali: vt pote repugnante fini matrimonij, qui est liberorum suscipio ad conseruationem generis humani. Etenim quia pollutionis voluptas ingens est: & incommotis vacat: ea aliqua tenus concessa, negligenter à plerisque coniugatis carnalis copula, præsertim ab iis, qui liberos nutrire aut collocare nõ sinemolestis magnis possunt. Porro nequaquam videtur negandum, quin peccatum sit mortale nondum coniunctos matrimonio delectationem veneream captare cogitatione copulæ quam habituri sunt tempore matrimonij. Tum quia eiusmodi cogitatio non habet rationem præambuli ad celebrationem matrimonij, cum intus latens & occultata, ad fouendum mutuum ac reciprocum amorem non sit accommodata. Tum etiam quia licet illa sit de re licita futura: nihilominus tamen actus appetitus sensitiuus ex eadem confurgens, est commotio præfens ordinata ad habendam de præfenti copulam (cuius illa est quedam inchoatio) quam habere non licet nisi matrimonio constante. Ob quam etiam rationem peccatum est mortale in viduis si admittant delectationem veneream ortam ex cogitatione copulæ habitæ tempore matrimonij. Quæ doctrina est Nauarri in Enchirid. cap. 16. num. 9. & 10. eamque recentiores sequuntur quos Sanchez refert in citata disput. 47. num. 4. & 7. Beneque in sequen. 8. monet pro solutione argumentorum contrariorum: licitam quidem esse complacentiam voluntatis de talibus actibus licitis, quod ij vel habendi sint, vel habiti sint suo tempore: illicitum esse tamen eiusdem voluntatis consensum in delectationem sensitiuam: quæ contingens cum præfenti commotione carnali, nõ ordinatur ad futuram aut præteritam copulam licitam: sed ad præfentem illicitam: vt pote quam matrimonium præfens non cohonestat.

Modus quo peccata contra nonum Decalogi præceptum commissa, diuersæ sunt speciei.

SECTIO III.

13. Difficultas autem hic occurrit; An peccatorum quæ contra nonum ipsum præceptum committuntur sint plures speciei. Cui vt satis fiat paucis, relicta longiore tractatione videnda apud memoratum de Salas sect. 6. notandum est consensum id rei venereæ concupiscentiam, quæ nono præcepto prohibetur, duplicem esse posse, iuxta antedicta lib. 11. cap. 3. docum. 2. Vnum efficacem; qui est cum affectu perpetrandi opus illicitum concupitum; alterum inefficacem; qui est simplex complacentia de opere illicito concupito. Si ergo peccata quæ contra nonum præceptum committuntur sint consensus efficaces, diuersæ sunt eorum speciei, perinde ac operum illicitorum, quæ dant eis suam malitiam, prout in eodem documento expositum est. Vnde si quis appetitui concupiscenti vxorem alienam aut consanguineam consenserit: optando talis concupiscentiæ adimpletionem, nõ confiteretur sufficienter dicendo se consensisse venereæ concupiscentiæ: sed exprimere tenetur adulterij vel incestus speciem, quam talis consensus accipit ex opere concupito, & sic de cæteris paulo post memorandis.

Si vero dicta peccata sint simplices complacentiæ, sine vl-

lo affectu ad opus; omnia sunt vnius speciei, cum sint eiusdem malitiæ: vt pote oppositæ vni tantum virtuti castitatis, ac eodem modo: nimirum per turpitudinem veneream in qua abfolute versantur: secus quam vsuueniat peccatis operum venereorum: quæ castitati ita opponuntur, vt vel oppositionis modus sit diuersus; vt patet in fornicatione, & peccatis contra naturam, nempe mollitiæ, sodomia, & bestialitate; vel adhuc alteri virtuti opponantur, vt raptus adhuc opponitur iustitiæ pietatis paternæ; adulterium, iniustitiæ fidei coniugalis; incestus, iniustitiæ pietatis debitæ sanguine iunctis, & sacrilegium, religioni. Sicut igitur simplex complacentia venereorum non extenditur ad vsu venerei operis, ex quo in peccatis castitati contrariis oritur aggrauatio mutans speciem, ita neque ad illam extenditur eiusmodi aggrauatio, prout illustratur exemplis.

Namque in simplici complacentia de raptu, solummodo notatur talis malitia contra castitatem, qualis est fornicationis: non item malitia contra iustitiam (sicut notatur in ipso raptu) quia per complacentiam eiusmodi, proximus in nullo læditur; vt nec per simplicem complacentiam de furto, quæ non extenditur ad rei alienæ vsurpationem per quam peccatur contra iustitiam. Similiter simplex complacentia de actu carnali cum coniugata, est quidem contra castitatem, eadem ratione qua fornicatio; sed non est de se contra iustitiam: quia cum ad læsionem proximi non extendatur, iustitia non censetur instituta ad illius moderationem. Pari quoque ratione simplex complacentia de actu carnali cum habente castitatis votum, tantum est contra castitatem: non autem contra religionem, nisi vsurpetur in religionis opprobrium: non enim per eam, sicut per opus, committitur irreuerentia contra cultum Deo debitum: sed tantum turpitudine contra castitatem: sicut nec per simplicem complacentiam de trucidatione Clerici peccatur per irreuerentiam contra cultum Deo debitum, sed solum per proximi odium.

Aduerte vero obiter eum qui habet castitatis votum absolute, si complaceat sibi in delectatione venerea, etiam sine affectu ad opus venereum, peccare non tantum peccato fornicationis, seu contra castitatem, sed etiam peccato sacrilegij & contra religionem. Ratio est, quia votum castitatis absolute emissum, comprehendit non solum opus externum; sed etiam delectationem omnem contra castitatem: cum de hac emissum sit absolute & sine restrictione.

CAPVT III.

De peccato luxuria.

SUMMARIUM.

15. Luxuria dicitur tum generaliter, tum proprie; hocq; posteriore modo peccatum est genere suo mortale.
16. Quod luxuria peccatum sit capitale, & qua ratione ex ea oriuntur peccata quedam interna, filia ipsius dicta.
17. Qua ratione quedam externa.
18. Septem luxurie speciei, quæ peccata sunt suo genere mortalia, de quibus faciendæ sunt specialiter confessio.
19. Quid sit fornicatio, & quod sit peccatum suo genere mortale.
20. Duo casus in quibus actus fornicationis excusatur à mortali.
21. De concubinato tanquam continuata fornicatione, quod sit graue peccatum, & grauius puniatur in vtroque foro.
22. Quid stuprum superaddat fornicationi, per quod constituitur distincta species luxurie.
23. Obligati, quam stuprum habent coniunctam.
24. Quid sit adulterium quidve malitiæ superaddat fornicationi.
25. Quomodo Confessarius debeat se gerere, quando proles suscepta est ex adulterio.
26. Quid sit incestus, & quam malitiam superaddat fornicationi, exprimendam in confessione, tanquam circumstantiam mortaliter aggrauantem.
27. Eiusdem grauitatis varietas, & quando in confessione sit exprimenda.
28. Quod raptus fornicationi superaddat.

GINAI
RAXIS
P. P.
IV

- 29 Corallaria de eadem re.
- 30 Raptum genere suo peccatum esse mortale: ad quod confirmandum referuntur poenae, quibus is à iure puniuntur: praesertim nouo Concilij Trident.
- 31 Quomodo sint eadem poenae accipiendae.
- 32 Quid sit sacrilegium prout luxuriosae species: & quot modis contingat.
- 33 De sacrilegio quod committitur vsu actus luxuriosus in loco sacro.
- 34 Quando committatur à coniugibus illic vrentibus coniugali copula.
- 35 Quatenus committatur per actum luxuriosum occultum, aut cum est sine carnis copula, aut desiderio illius habendae in loco sacro.
- 36 Quae in hac re comprehendantur nomine loci sacri.
- 37 Quodnam dicatur peccatum contra naturam, & vnde sumantur variae species illius.
- 38 Quando peruerso modi in copula coniugali sit tantum peccatum veniale: & quando etiam mortale.
- 39 Definitio mollietis, cum annotatione de distillatione, quae ei affinis est.
- 40 Quod mollietis sit peccatum mortale: sit etiam procuratio dictae distillationis.
- 41 Modi varij quibus contingere potest carnalis pollutio.
- 42 Obligatio sub mortali remouendi causam futurae pollutionis, cessat ob necessitatem agendi ad notabile commodum consequendum, aut notabile incommodum vitandum.
- 43 Difficultas an eadem aliquando cesset, si absit agendi necessitas.
- 44 De malitia pollutionis in sua causa praesuae quidem, non tamen intentae.
- 45 De peccato quod committitur dando occasionem distillationi, aut commotioni spirituum generationi deseruientium.
- 46 Quid ad Sodomiam proprie dictam requiratur, & de generaliter dicta.
- 47 Illius grauitas & poena.
- 48 De bestialitate.

15.

LUXURIA generaliter significat omnem excessum non solum in re venerea; sed etiam in vestitu, epulis, & similibus deliciis. Specialiter vero significat solum excessum in re venerea: sicque in praesentiarum accipitur, & est peccatum suo genere mortale, iuxta illud, quod ad Gal. 5. cap. ea ponitur inter opera carnis, quae qui agunt, regnum Dei non consequentur. Quod & ratio docet: qui est peruersus excessus in re graui, nempe in generatione humana, ordinata ad conseruationem humani generis; & ideo maxime necessaria ad commune bonum, si iuxta normam rectae rationis vsurpetur. Quandoquid ex D. August. in lib. De bono coniugali, cap. 16. quod est cibus ad salutem hominis, hoc est concubitus ad salutem generis.

16.

Est etiam peccatum capitale ex D. Gregorio lib. 31. Moral. cap. 31. quoniam ex ea tanquam ex fonte, ob vehementiam delectationis venerea, multa alia (quae ideo vocantur filiae luxuriae) oriuntur: praesertim autem ista: caecitas mentis, praecipitatio, inconsideratio, inconstantia, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, & horror futuri. Id quod declaratur hac ratione, quam D. Thom. habet, 2. 2. quae. 153. art. 5. Cum in intellectu sint quatuor operationes in ordine ad spirituale bonum: prima, simplex consideratio, per quam homo id ipsum bonum comprehendere dicitur: secunda, bona consultatio: de medijs ad idem exequendum: tertia, iudicium de medijs illis quae occurrerunt: quarta, imperium, quo ratio operam dat, vt quae iudicata fuerint opportuna, mandentur executioni: luxuria prout reddit mentem ineptam ad considerationem rerum spiritualium, parit caecitatem mentis; prout vero ad consultandum de recte viuendi medijs, praecipitatem: prout autem ad recte iudicandum de medijs ad aeternam salutem conducentibus, inconsiderationem: prout demum reddit debilem ad exequendum bona proposita, inconstantiam.

Praeterea cum in ordine ad bonum ipsum spirituale, duae in voluntate operationes sint: nempe intentio finis, & electio

mediorum: luxuria quoad intentionem, sic eandem voluntatem trahit ad voluptates venereas, vt omnes cogitationes & curas referat ad eas consequendas; vnde sequitur vt se in illis adeo amet, vt oderit Deum qui illas tanta seueritate prohibet, indeque generat tum amorem sui, tum odium Dei. Quoad electionem vero, luxuria voluntatem sic peruertit oblectamentis voluptatum corporarum; vt qui inharent in illis, velint in hac vita perpetuo manere: quod est generare in eis amorem huius saeculi: nolint autem mortem, per quam se priuandos voluptatibus norunt, & exponendos grauibus poenis subeundis pro illicito vsu earum: & ita parit horrorem futuri saeculi. Ex quibus satis intelligi potest sollicitudo de aeterna sua salute, curandum esse peculiari studio, vt animam à luxuriae sordibus purgatam habeat, ab eaque iuxta Ecclesiasticum cap. 21. tanquam à facie colubri fugat.

Porro ad propositas, vt vocant, luxuriae filias, quae interne sunt, & malitiae mortalis (tanquam impedimenta graui aeternae salutis consequendae) D. Thom. in cit. art. 5. ad 5. addit quatuor externas. Prima est, turpiloquium, quod contingit homini luxurioso ex abundantia turpitudinis, quia cor habet plenum, iuxta illud Matth. 12. Ex abundantia cordis os loquitur. Secunda est, scurrilitas, posita in verbis & factis parum honestis risum mouentibus: quae nascitur ex eodem fonte cum praecedente. Tertia est, sermo ludicrus comparatus ad iocos, quibus libidinosi impensius delectantur: eaque ex causa ex varijs libris colliguntur turpes, & ludicras narrationes, quas in promptu habeant dum versantur ab alijs. Quarta est, stultiloquium: mens enim caeca libidine effudit multa stulta, seu aliena à ratione. Haec autem infectae malitiae luxuriae, à qua manant tanquam à fonte, iudicari debent peccata mortalia. Sequitur, vt de eiusdem luxuriae speciebus dicamus.

De speciebus luxuriae.

SECTIO I.

Species luxuriae septem numerantur, fornicatio, adulterium, incestus, stuprum, raptus, sacrilegium, & peccatum contra naturam quarum mentio habetur, 36. quae. 1. cap. Lex illa 2. eaque peccata esse genere suo mortali (quod iudicatum in Clemen. final. De haereticis, glossa ibid. notat, ad verbum Non est) ex eo sufficienter probatur quod fornicatio quae peccatum est minus caeteris, numeretur à D. Paulo inter ea, quae à regno Dei excludunt: cum in priori ad Corinth. cap. 6. ait: Nolite errare, neque fornicarij, neque idolis seruietes, neque adulteri, neque molles regnum Dei possidebunt. Et ad Galat. 5. Manifesta sunt opera carnis quae sunt: fornicatio, immundicia, &c. quae praedico vobis sicut praedixi, quoniam qui talia agunt regnum Dei non possidebunt, & ad Ephes. cap. 5. Hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator aut immundus, &c. non habet hereditatem in regno Christi & Dei. De qua re pluribus disserere non est necessarium ad nostrum institutum. Legat qui vult Gregorium à Valent. 2. 2. disput. nona, quae. 3. puncto 3. aut Leonard. Lessium De iust. & iur. lib. 4. cap. 3. dub. 7.

Intelligitur autem ex his: illud quod moneri solet, facendam esse breuiter Penitentis interrogationem circa praecipua de quibus agimus: non ob stare quia oporteat distincte cognosci circumstantias, quae in hoc peccati genere variant species: nempe si solutus cum soluta rem habuerit: vnde constituitur fornicatio: si vir cum virgine, vnde stuprum si adhibita violentia, vnde raptus: si cum consanguinea aut affine intra quartum gradum, vnde incestus: si cum persona per votum castitatis deuota Deo, vnde sacrilegium; si cum nupta alteri, vnde adulterium; si cum masculo, vnde nefandum Sodomiae scelus: si se polluit, vnde mollietis; si denique cum bestia, vnde bestialitas. De quibus sic statuendum est, vt fornicatio iudicetur peccatum minus graue caeteris, & adulterium ea grauius: & adhuc grauius stuprum, cui addit grauitatem raptus: & stuprum in grauitate incestus sequatur. Sacrilegium autem caeteras luxuriae species aggrauet; & grauiissima sint peccata contra naturam, inter quae infimum grauitatis locum tenet mollietis, medium Sodomiam, & supremum bestialitas.

De for-

De fornicatione simplici.

SECTIO II.

19. **F**AM vero vt de singulis aliqua dicamus quantum requiruntur ad nostrum institutum: cum fornicatio simplex definitur concubitus soluti cum soluta: nō inue soluti intelligitur vir qui nec coniūx est, nec conforti criminis, consanguineus, vel affinis, nec votum habet castitatis. Nō inue solutæ vero intelligitur fœmina similiter se habens, quæ iam amiserit virginitatem. Peccatum est autem mortale ex antedictis, à quo neminem ordinarie ignorantia excusare potest. Prohibetur enim præcepto naturali quod ab vteribus ratione nullo modo adlongum saltem tempus, potest ignorari: cum ipso naturali ingen j lumine constet fornicationem esse contra finem propter quem Deus humanum concubitus concessit. Patet enim, quod talis non solum sit susceptio liberos: sed etiam eorum sustentatio, & educatio: quæ nequit fieri nisi illi habeant certum ac determinatum patrem, prout euenit in coniugio, non item in fornicatione.

20. **D**uo vero casus dantur in quibus locum habet excusatio à tali peccato. Prior est, quando deficit vsus rationis, vt in amentibus & ebriis, qui rationis compotes non sunt: nisi tale periculum præviderint, & neglexerint cauere sibi ab eo, quando poterunt. In quo casu censendi sunt, tanquam periculum amantes, periisse in illo. Posterior est, cum interuenit vis, qua quis ad concubitus cogitur: nam si in talem actum non consentiat voluntate, licet delectationem carnis sentiat, excusatur à peccato saltem mortali, quod requirit plenum consensum voluntatis: cum quo consensu fornicari, nullo mortis metu licet: ne si quidem mille mortes essent perferendæ.

21. **S**olet vero ad istud peccatum referri concubitus soluti cum soluta: quia is non est aliud, quam fornicatio posita in consuetudine, seu ita continuata vt quodammodo sit cohabitatio talis, qualis cernitur in coniugio. De eo autem illud occurrit mendum, graue peccatum esse, & valde periculosum: quia homo in eo non solum peccat: sed etiam manet in statu peccati, & continuo proposito peccandi. Quo fit vt concubinarij, nec possint, nec debeant ante absolui sacramentaliter, quam concubinas eiecerint, cum proposito ad illas non redeundi amplius. Neque excipiendi sunt constituti in articulo mortis, nisi forte mors instet ac tempus desit: quo casu, necessitas facit, vt sufficiat propositum firmum de cetero vitandi tale flagitium. Quod si occurrit concubinarijs non habens domi concubinam, experientia aliqua de continentia ipsius sumenda est ante absolutionem: præsertim quando frequenter proposuit se seruaturum ab illa, nec seruauit, nisi tam aperta præberet signa doloris, & firmi propositi emendationis: vt nihil appareret cur absolutio differri deberet: quod satis rarum est in talibus personis.

De concubinarijs Concil. Trid. sess. 24. cap. 8. de reform. matrimonij decreuit, vt ab Ordinarijs ter admoncantur; idem etiam de concubinis, atque si illi non pareant admonitioni, excommunicentur: sique censuris neglectis in concubinato perseverent per annum, seure castigentur. Hæc vero si post trinam illam admonitionem non resipuerint, grauius pro modo culpæ puniantur & eiciantur ex pago, vel ciuitate, vel etiam ex tota diocesi.

De stupro.

SECTIO III.

22. **S**TUPRUM non accipitur hic generaliter pro concubitu legibus vitato: sed particulariter pro virginis fœminæ defloratione, sed pro peccato luxuriæ quo virgo fœmina defloratur. Quandoquidem peccatum grauius est simplici fornicatione: quia & totam illius malitiã habet, ex eo quod exercetur extra coniugium; & vterius aliquam, ob additam signaculi virginalis fractionem; quæ ab eiusmodi turpitudine reuocare debet habitam ratione detrimenti magni, quod ea adfert, tum virgini ipsi, quam reddit minus idoneam ad inueendum coniugium: tum parentibus sub quorum cura, & custodia de se est virginitas illius; dicente Sapiente Ecclesiastici 7. Filix tibi sunt, serua corpus illarum.

An autem ea aggregatio fiat mutando specimen ita vt de-

beat aperiri in confessione dubitatio est, de qua in vtramque plures authores citat. Ioan. de Salas ad 1.2. tomo 2. tract. 3. disp. 6. num. 59. Affirmans autem sequenda est in praxi tanquam omnino certa.

Aduerte vero ex Caiet. 2.2. q. 154. art. 6. in responsione ad 2. dubium: & Nauar. in Enchir. cap. 16. num. 3. non viri, et pote caretis memorato signaculo sed fœminæ virginitatem esse illam ex cuius violatione (tanquam cir. unstante nimirum specialiter obstitentis expletioni libidinis) ituprum habet suam peculiarem deformitatem: neque ad illius rationem propriam, ex eodem Caietano, sufficere, vt per qualemcumq; obscenitatem violetur virginitatis virtus, sed requiri effractionem claustrum virginalis, quæ fit per deflorationem fœminæ virginis.

Habet vero peccatum hoc coniunctam obligationem ad restitutionem: 1. quando quis ad copulam vi cogit virginem aut precibus importunis: 2. quando falsis persuasionibus, & promissionibus eam decipit: 3. quando se illam ducturum in vxorem promittit, siue cum iuramento, siue absque eo; si interius non intendat eam ducere. Teneatur enim in talibus casibus eam ducere, aut damnum illatum aliter resarcire: nimirum dotando, vel ad arbitrium boni viri reddendo aliud, quo sufficienter compenset; quando ducere non potest: siue quia ipse est disparis conditionis; siue quia illa recusat ei nubere; siue quia parentes nolunt vt ei nubat; siue quia sequetur ex matrimonio graue scandalum. De qua re ante plenus cum de restitutione libro decimoq; num. 326.

Quando autem virgo nec decepta, nec coacta est sed sponte consentit, non est obligatio ad restitutionem ex iustitia: sed solum ex charitate, præcipue si potens est is qui stuprum intulit, & fœmina pauper, timeturq; periculum perditionis eius. Quamquam in foro externo stuprator tanquam obligatus ex iustitia, non nunquam compellitur ducere aut dotare eam quæ sibi sponte consentit: quia in illo foro præsumitur decepta esse, etiam si forte consenserit. Quæ præsumptio non habet locum in foro externo, in quo proinde stuprator non compellitur ad restitutionem; quasi iniuriam intulerit: cum iuxta regulam iuris, scienti & consentienti non fiat iniuria: vnde intelligitur quod latius tractat Thomas Sanchez lib. 7. De matrim. disp. 1. Vbi nulla vis infertur virgini non esse necessario exprimendam conditionem virginitatis; quia tunc per eam, stuprum non addit fornicationi malitiam notabilem. De qua re videri potest etiam Leon. Lessius de iust. & iure, lib. 2. cap. 10. dub. 1. Porro intelligenda sunt iam dicta, non modo de virgine quæ talis erat reuera, sed etiam de ea quæ publice virgo habebatur, etiam si non esset. Nam ratio dicitur tali quoq; pro fama publice amissa, ad arbitrium boni viri æquiualens reddendum esse ex iustitia, in casu in quo vera virgini restitutio facienda esset.

De adulterio.

SECTIO IV.

24. **A**DULTERIUM est illicitus concubitus coniugati cum soluta, aut soluti cum coniugata, aut deniq; coniugati cum coniugata. Supra fornicationem autem aggravatur mortaliter, & in distincta specie constituitur per specialem deformitatem quam ex eo accipit, quod per ipsum violetur coniugij fides sanctitasq; specialiter repugnans illicitæ expletioni libidinis. Quando igitur hæc effrenata fuerit, vt tanto obstaculo non reprimatur, specialem prauitatem in confessione declarandum contrahit non tantum quando vterque criminofus fuerit coniugatus, sed etiam cum alter tantum. Et si enim is qui solutus est, nihil agat contra coniugalem fidem à se datam, cum talem nulli dederit: cooperatur tamen alteri in violanda fide quam is dedit coniugi, ideoque reus est eiusdem criminis, & obnoxius restitutioni damnorum tale crimen consequentium. Attamen in hoc est differentia; quod crimen illius posterioris modi, sufficienter declaratur dicendo absolute commisi adulterium: non item crimen prioris modi: quod, quia duplicem continet iniuriam, mortiferam (siquidem eo violentur duorum matrimoniorum iura, duoque coniuges damno afficiuntur) non exprimitur sufficienter nisi explicetur circumstantia, ratione cuius iniuria duplicatur.

25.

Ceterum quomodo in hac re Confessarius se gerere debeat, quando ex adulterio proles suscepta fuerit, difficultatem habet que tractata quidem est ex professo in lib. 10. c. 19. quaest. tertia. consultus est tamen, quia Confessarium in promptu habere necessitas cogit in re non inusitata, paucis perfringere.

Primum est adulteram, quae cum prole illegitima habet legitimam, si bona propria habeat de quibus possit libere disponere, debere proli legitimae refarcire damnum quod patietur ex eo quod in diuisione hereditatis, illegitima proles sit habenda pro legitima.

Secundum est, adulteram cum nequit praedictam restitutionem facere, debere aliquando legitimis filiis reuelare illegitimum: aliquando vero non debere. Non enim debet quando sibi, vel illegitimae proli ex reuelatione immineret vitae periculum, aut infamia publica: nisi forte tam magnum bonum publicum ex reuelatione prouenturum esset; ut vita ac fama propria exponi deberet periculo: prout contingere potest cum spurium in regnum vel alium principatum successurus esset. Nec etiam debet adultera reuelare adulterium, quando probabiliter putat se ea reuelatione nihil profuturam apud illos quibus fieret. Debet autem reuelare, quando nec vitae nec famae periculum ipsi imminet, speratque se profuturam reuelando: siue quia creditur ipsi: siue quia sufficientia habet argumenta seu indicia quibus possit illegitimitatem prolem ostendere.

Tertium est, adulterum eadem ratione qua adulteram teneri vel non teneri ad restitutionem, aut sui manifestationem.

Quartum est, prolem illegitimam non teneri credere matri manifestanti adulterium nisi probationem adferat indicia sufficientia ad fidem faciendam. Quamquam tamen interdum iudicandum est rationabile esse, ut ipsius reuelationi credatur sine ulla probatione; ut cum satis patet, quod bona fide dicat omnia: vel ut cum dicit post susceptionem sacramentorum Poenitentiae & Eucharistiae: praesertim cum probabile est quod reuelet ob religionem ei iniectam a Confessario.

Quintum est, illegitimam prolem credentem matri manifestanti adulterium suum, teneri in conscientia hereditatem relinquere: non autem illa restituere quae consumpsit bona fide.

Sextum est, Quae de prole illegitima, deque adultera vel adultero dicta sunt; similiter de prole supposititia, & eam supponentibus dicenda esse: siue quoad restitutionem, siue quoad manifestationem.

Septimum est, licitum esse ad vitandam infamiam aut periculum vitae imminens, ex adulterio susceptos filios spurios in hospit. ali domo exponere: cum obligatione tamen eidem reddendi quae sunt ad sumptum necessaria: nisi quod pauperes exeantur, quoniam instituta sunt hospitalia pro pauperibus. Tam in nihilominus, quam diuites debent a se expositorum curam diligentem habere: visitando, vel instituendo prout poterit occulte: nunquam autem licet, ne quidem ad mortem siue propriam siue alienam vitandam, occidere prolem vel abortum procurare.

Octauum est, inter alias adulterij penas (de quibus Sylu. in verbo Adulterium, num. 8. & latissime Lud. Gaicus Molina de iustitia & iure, tom. 3. tract. 3. disp. 89. & aliquot sequentibus) hanc poni, ut adulter perdat ius petendi debitum coniugale, ita ut alter possit illud petenti negare absque peccato: nisi ipse quoque similiter peccauerit: quia tunc esset par vtriusque ius, prout habet Nauar. in Enchir. cap. 22. num. 23. aut nisi crimen ipsius non esset notum sufficienter, iuxta doctrinam eam quam tradit Thomas Sanchez lib. 1. de matrimonio, disp. 68. quaest. 1. & lib. 10. disp. 12. num. 8. ad sequentem librum 31. pertinentem.

De incestu.

SECTIO V.

26.

Incestus est concubitus cum consanguinea, aut affine intra gradus prohibitos, quales sunt omnes gradus consanguinitatis vsque ad 4. inclusiue, & affinitatis vsque ad eundem patris gradum, si ea contracta sit ex matrimonio: sin ex fornicatione vsque ad 2. gradum iuxta Concil. Trident. sess. 24.

De reformatione matrimonij. Fornicationi autem superaddit specialem malitiam: quia propinquitas consanguinitatis vel affinitatis, peculiari nomine debet deterrere a turpitudine actus venerei ob reuerentiam debitam personae propinquae, prout D. Thomas docet 2. 2. quaest. 154. art. 9. Eam vero esse mortalem malitiam patet ex eo, quod sit transgressio praeccepti Ecclesiastici in re graui. Per quod praecceptum annullatur quoque matrimonij contractus, intra tales gradus: tum etiam ex eo, quod in priori ad Corinth. cap. 5. Apostolus tantopere exaggeret & execretur eiusmodi turpitudinem cum persona tantummodo affine. Omnino, inquit, auditur inter vos fornicatio, quales nec inter gentes, ita ut vxorem patris habeat aliquis. Et vos inflati estis, & non magis luctum habuistis.

Porro in his, quanto maior est inter personas incestuosas conuinctio, tanto grauius peccatum est incestus: ut commissus cum consanguinea, maius peccatum est quam commissus cum affine; & inter consanguineos commissus, eo grauius peccatum est, quo gradus propinquior fuerit: ut potest turpius & magis repugnans rectae rationi. An autem per tales excessus, diuersae constituantur species incestus, relinquemus Theologis scholasticis disputandum. Qui vult potest id sufficienter tractatum videre apud Leonardum Lessium de iust. & iure lib. 4. cap. 3. dubit. 12. Ad nostrum enim institutum sufficit notare (quidquid in speculatione videatur) rem esse talem, quae ad intelligendum a Confessario plene statum poenitentis, debeat exprimi in confessione saltem quoad diuersitates, ex quibus cognoscendum est, num incestus commissus fuerit cum consanguinea, an cum affine: idque an supra primum gradum, seu cum affine patre vel matre, socero vel socru. Itemque, an in 1. gradu, seu an cum fratre siue proprio, siue vxoris; aut cum socro similiter siue propria siue vxoris. In quibus abhorrendus a natura varius turpitudinis excessus exigit ipsam varietate detegi ad informationem plenam Confessarij. Diuersitates vero quoad reliquos gradus detegi, ideo videri potest non necessarium, quod respectu illorum incestus non habeat varietatem turpitudinis, ex qua iudicium Confessarij de poenitente notabiliter variari debeat, cum illamet turpitudine tota pendeat ex Ecclesiae prohibitione: quae in omnibus gradibus est similis; licet ratio paternae reuerentiae qua nititur, maius habeat pondus in superioribus quam in inferioribus gradibus.

Aduerte autem praeter dictam carnalem affinitatem, datum legalem, quae nascitur ex adoptione alicuius in filium: eo quod adoptanti reuerentia paterna debeatur: tum spiritalem quae nascitur ex baptismo & confirmatione inter suscipientem & susceptum: & illum, ac huius parentes: quae affinitates prout Ecclesiae statuto impedimenta matrimonij constituantur (ob paternam scilicet reuerentiam quam exigunt) copulae carnali addunt turpitudinis augmentum notabile, adeoque exprimendum in confessione, prout aliis citatis notat Thomas Sanchez in lib. 7. de matrimonio disp. 5. num. 9. & 10.

Aduerte etiam ex cap. Transmissae, De eo qui cognouit consanguineam vxoris: per fornicationem commissam cum consanguinea vxoris, impediri in fornicario petitionem debiti coniugalis, etiam quando eadem vxore mortua, duxerit aliam. Id quod tamen intelligendum est cum restrictione ad 1. & 2. gradum, iuxta Concil. Trident. sess. 24. cap. 4. de reformatione matrimonij.

De rapto.

SECTIO VI.

Raptus ad malitiam fornicationis super addit rapinam, per quam venere libidinis causa, abducitur per vim iniustam persona, siue masculus sit siue foemina. & haec siue nupta, siue in nupta: haecque rursus, siue virgo siue corrupta, & haec demum, siue vidua honesta, siue meretrix. Atque ea in re ex Gratiano in cap. De raptoribus, 36. q. 1. (quod & expressit D. Thomas, 2. 2. quaest. 154. art. 7.) nihil refert siue vis inferatur personae abductae, siue iis sub quorum est cura, & potestate, siue vtriusque.

Vnde intelligitur primo, ad eam differentiam quam raptus constituitur luxuriae species diuersa a fornicatione,

sufficere

sufficere ut vis quomodocumque inferatur fœminæ a l. extorquendam ab ea carnalem copulam: cum sic ad malitiam fornicationis, castitati contrariam, addatur malitia alterius speciei: puta violentiæ illatæ contra iustitiam.

Intelligitur 2. raptum contingere, si fœmina ad consentiendum in carnalem copulam adducatur talibus precibus importunis, quæ violentiæ æquivalent (quales dari posse patet ex illis quibus Dalila coegit Sampson detegere in quo consisteret fortitudo ipsius, Iudicum 16. num. 16.) Non item si preces importunæ sint tantum simplices, quæ non magis vim adferant quam pretium oblatum.

Intelligitur 3. non esse proprie raptum, quando facta sollicitatione matrimonij, aut alia fraude, copula extorquetur à fœmina, aut ipsa cognoscitur ignorans flagitium, quia dormit, aut bona fide putat virum suum esse qui ad eam accedit. Ratio est, quia quantumvis fraus, & ignorantia auferant voluntarium, non inferunt tamen violentiam quæ necessaria est ad raptum verum, proprieque dictum.

Intelligitur 4. raptum verum contingere, non modo cum fœmina domo abducitur inuita, & carnaliter cognoscitur inuita, sed etiam cum volens quidem abducitur, sed postea cognoscitur inuita: aut contra, cum abducitur quidem inuita, sed postea volens cognoscitur. Ratio est, quia in his etiam casibus inuenitur violentia superaddita fornicationi. Et verum est, quantumcumque fœmina sit meretrix, quoniam is status non obstat quin violentia sit iniusta.

Intelligitur 5. speciem raptus cõstitui saltem sufficienter, ut debeat in confessione explicari, si fœmina constituta sub parentum aut tutorum potestate abducatur, illa quidem volente, sed his inuitis. Ratio est, quia ipsi sunt manifesta iniuria, dum constituta sub ipsorum custodia, extrahatur ipsis rationabiliter inuitis.

Intelligitur 6. ad constituendam speciem raptus nihil referre, siue vir fœminam, siue fœmina virum rapiat. Nam utroque datur iniuria iniuste illata, per quam in actu libidinoso, malitiæ fornicationis additur diuersa speciei malitia. Quæ maior tamen est, quando vir fœminam rapit; solaque facit obnoxium pœnis raptorum, de quibus paulo post dicitur.

Intelligitur postremo raptum, de quo tanquam de particulari specie luxuriæ agimus, non contingere quando fœmina rapitur ex alia causa quam venereæ libidinis: nam ad rationem luxuriæ requiritur affectus libidinosus. De quo aduerte quando adest, etiam si coitus non sequatur, raptum posse adesse. Cum ad eum constituendum sufficiat inferri vim animo libidinis explendæ.

Iam quod raptus sit genere suo peccatum mortale: ex eo patet, quod per violentiam iniustam, quam cum turpitudine actus luxuriosi, malitia ipsius includit, notabiliter augetur contra iustitiam. Patet etiam ex grauib. pœnis quibus tale flagitium punitur utroque iure. Nam ciuili Cod. de raptu virginum, lege vnica, pro raptu puellæ vel mulieris honeste, siue nuptæ, siue innuptæ, supplicium capitis statuitur: tum raptori, tum iis qui fuerint ei auxilio; & ipsius raptoris bona per iudicem addicenda sunt mulieri raptæ, si sit ingenua. Iure Canonico vero antiquo inter cetera statuitur, ut raptores puellarum siue mulierum, & cooperatores ipsorum, si Clerici sint, decendant à proprio gradu, id est, deponantur; si laici, anathematizentur, 3. 6. q. 2. cap. 1. Iure autem nouo, Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. De reform. matrim. inter raptorem & raptum nõ potest esse matrimonium, nisi raptus in libero loco posita, libere cõsentiat. Raptor vero ipse & omnes cõsistunt, auxilium, & fauorẽ præbentes, sunt ipso iure excommunicati, & perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, sique sint Clerici, deiciendi sunt de proprio gradu. Tenetur præterea raptor mulierem raptam siue duxerit eam in vxorem siue non, decenter arbitrio Iudicis dotare.

Si opponas, non omnem raptorem subiici talibus pœnis. Ergo male ex eis generaliter inferri raptum esse peccatum mortale. Respondeo non posse negari antecedens: tum quia Concilium Tridentinum punit solummodo raptum fœminæ, factum à viro causa contrahendi cum ea matrimonij: tum quia dantur tres casus in quibus pœnæ antiquo iure cõstitutæ, non incurrebantur: quos in verbo Luxuria, quæst. 6.

dicto 2. Syluester ex Panorm. refert; quorum primus habetur ex cap. Si quis virginem, 38. quaest. 2. cū quis rapit sibi desponsatam. Secundus ex cap. Lex illa, in præced. quaest. 1. cum rapit illam cum cuius parentibus præcessit contractus de nuptiis cum ea contrahendis. Tertius ex cap. Cum causa De raptoribus: quando mulier in matrimonium futurum parentibus quantumvis inuitis consentit. Consequentia autem eiusdem oppositionis ideo negari potest, concessio antecedente: quia in iis quæ prohibita sunt quia mala, quando par est ratio malitiæ, par quoque malitia esse censenda est.

Cæterum circa pœnæ à Concil. Trident. constitutas pro praxi nobis proposita, notandum occurrit difficultatem esse posse, an in tribus casibus allatis ex locum habeant, si mulier abducatur ut matrimonium etiam inuita ineat. Nam quod locum habeant, videtur ex eodem doceri: quod intentio Concilij sit suo decreto libertatem matrimonij tueri, pœnæ eas grauisimas imponendo illam offendentibus per raptum: ut offendit ille etiam qui sponsam inuitam abducit ad ineundum matrimonium. Sed contrarium quod tangit Henriquez in sua summa lib. 12. cap. 14. num. 5. non caret probabilitate: quia decretum prædicti Concilij, cum sit pœnale, intelligendum est cum restrictione ad proprie dictum raptum: non autem cum extensione ad alium (præsertim per ius antiquum) improprie dictum, prout raptus sponsæ dicitur, cum sit rei ad quam ius habetur. De raptu autem mulieris consentientis dissentientibus parentibus sub quorum fuerit custodia, idem maiore ratione dici potest: quoniam ad libertatem matrimonij, parentum voluntas nihil confert; sed tantum voluntas contrahentium. De impedimento matrimonij per raptum quæ notanda sunt commodius tradentur in sequenti tomo cum de matrimonio ipso.

De excommunicatione vero in eodem decreto raptori imposita, occurrit notandum: tum quod ea sit latæ sententiæ, ut patet ex particula, ipso iure, quæ in decreto ipso habetur expressa: tum eam nulli esse referuatam: quia id alioqui debuisset in eodem decreto indicari, iuxta cap. Nuper, De sent. excommunic. §. In 2. casu, nec indicatur.

De aliis pœnis ibidem à Concil. additis notandum occurrit eas non incurri ante Iudicis sententiã, prout patet de infamia, quæ est pœna iuris, infligenda à Iudice. De incapacitate vero omnium dignitatum, idem coici potest; tum ex eo, quod Concil. verbis illis: ac perpetuo infames, omniumque dignitatum incapaces, significet incapacitatem eiusmodi, eadem ratione qua infamiam, hacque præcedente incurri: tum etiam ex eo, quod tanta sit eiusdem pœnæ acerbitas, ut merito censeatur Iudicis sententiã exigere, prout citatis Nauarro & Molina, Sanchez argumentatur lib. 7. De matrim. disp. 13. num. 1. In qua disput. & præced. 12. bene persequitur spectantia ad hanc materiam.

De dotatione demum, quod sententiã Iudicis requirat verba illa: decenter arbitrio Iudicis dotare, satis clare indicat. Circa quæ obiter aduerte, quod etiam Sanchez, in eodem num. 1. habet, in tali arbitrio spectanda esse, tam raptoris quam raptæ, conditionem personæ: cum eiusmodi pœna imponatur in compensationem iniuriæ illatæ; hæcque secundum eandem conditionem æstimanda sit siue maior siue minor. Aduerte item si quæ damna secuta sint raptæ ex ipso raptu, ea in foris cõscientiæ esse à raptore resarcienda, non expectata Iudicis sententiã: quoniam tunc, sicut in aliis illationibus damnorum, obligatio est de iure naturæ.

De sacrilegio.

SECTIO VII.

IN materia luxuriæ, sacrilegium dicitur esse violatio rei factæ per actum venereum. Quæ contingere potest quinq; modis. Primo, quando persona votum habes castitatis, quod se Deo consecrauit, consentit in actum luxuriæ; siue externum, siue internum, uterque enim est contra castitatem de qua tale votum est emissum. Secundo, cum in actum luxuriæ circa personam prædicto modo consecratam Deo exercendum consentit persona, quæ non est similiter consecrata; ut contingit quando persona non adstricta castitatis voto for-

nicatur, aut optat fornicari cum adstricta eodem voto: puta cum Sacerdote, cum moniali, &c. Nam in eo consentit cooperari sacrilegæ voti violationi. Tertio, cum in eiusmodi actum, persona consecrata Deo, similiter consentit: cuiusmodi consensu, perinde ac in adulterio coniugati cum coniugata, duplex peccatum committitur: vnum violatione voluntaria proprii voti, & alterum consensu in violationem voti alieni. Quarto cum actus luxuriosus exercetur interuentu rei sacræ: prout fit cum quis vitur sacra Scriptura ad iocos impudicos, quibus se & alios carnaliter oblectet. Id quod notabilem rei sacræ iniuriam continere, ideoque peccatum mortale esse, perinde ac voti violationem dubitandum non est. Pro quo facit prohibitio Concilij Tridentini in fine quartæ sessionis: ne verba & sententiæ ipsius sacræ Scripturæ, conuertantur & torquentur ad scurrilia, fabulosa, vana, &c.

33. Postremo cum actus luxuriæ exercetur in loco sacro, vnde malitia ipsius supra fornicationis malitia, mortaliter augetur. Id quod latius tractat Thomas Sanchez in lib. 9. De matrimonio disput. 15. Pro praxi autem nobis propõta sufficit notare sequentia.

Primum est: per sanguinis aut seminis humani effusionem in loco sacro, hunc pollui, seu prophanari: ita vt consecratione indigeat, vt diuina in eo celebrentur, ex cap. Ecclesiis, distinct. 68. ex cap. Si motum, & cap. Ecclesiis, De consecr. distinct. 1. ex cap. finali, De consecratione Ecclesiæ, & cap. vnico, eod. tit. in 6. Cum vero per eiusmodi effusionem grauis iniuria contra virtutem religionis inferatur diuinis (impediendo scilicet celebrationem eorum, explendæ libidinis venereæ gratia) manifestum esse quod istiusmodi sacrilegium, cum mortali malitia castitati contraria coniunctam habeat mortalem malitiam religioni contrariam, eamque specie diuersam: vt pote virtuti diuersæ speciei contrariam.

34. Secundum est: huic eidem peccato obnoxios esse coniuges, si in loco sacro vtantur copula coniugali: nisi necessitas ipsos excuset. Etenim per talem copulam locum ipsum sacrum pollui, negant quidem aliqui: cæterorum tamen sententia (vtriusque magno numero commemorat Sanchez loco cit. n. 7.) affirmatiuum pollui, pollui, probabilior est, vt & tutior: quoniam iura ante memorata generaliter ac sine distinctione statuunt Ecclesiam pollui sanguinis, aut seminis emissionem. Sic ut ergo conceditur secundum eadem iura, sanguinis effusione, etiam si alias licita (vt cum reus dignus morte occiditur à iustitiæ ministris) pollui locum sacrum, in quo facta fuerit: ita etiam concedendum est pollui effusione seminis, etiam alias licita, vt est in legitimo matrimonio.

Tertium est: non modo petentem sed etiam reddentem coniugale debitum, obnoxium esse prædicto peccato; quia actus ille carnalis, in quo committitur, atque pendet ex redditione atque petitione debiti. Ita tenentes plurimos commemorat *ibid.* num. 8. Sanchez. Consequenter agens pluribus de necessitate quæ vtrumque excusare potest, meritoque assentitur illis, qui concedunt eam contingere quando coniuges intra locum sacrum sic oblecti sunt, vt non pateat ipsis ad loca non sacra egressus, & longo tempore duratura est oblectio: ita vt attentæ humana fragilitate, moraliterque loquendo, censeretur in coniugibus adesse incontinentiæ periculum, cui Ecclesia (ne videatur de copulam infirmis rendere) nolit occasionem dare, statuendo locum sacrum violari per sanguinis, aut seminis effusionem: sed potius, commiserando eidem filiorum suorum infirmitati, noluisse statutum illud seum extendi ad casum vrgentis necessitatis euadendi periculum mortaliter peccandi. Pro quo ipse Sanchez in seq. num. 14. citat aliquot auctores.

35. Quartum est: difficultatem esse; An sacrilegium istiusmodi contingat, si copula carnalis in loco sacro occulte exercetur. Pro cuius vtraque parte, idem author aliquot Doctores citat in eadem disput. nu. 10. & 11. Cum eodem vero distinguendum videtur: vt sacrilegium tunc contingat quidem ex natura actus: non tamen ex modo quem eadem copula requirit, vt re ipsa impediatur diuinorum celebrationem. Oportet enim manifestum esse; vt palam constet de irreuerentia loco sacro illata, ob quam sit ibi omittenda diuinorum celebratio. Id tamen non obstat, quin etiam si factum

lit occultum, debeat cum eo circumstantia loci exprimi in confessione: ob hanc maxime causam, quod sic fundet sacrilegij malitiam, vt quantumcumque; nullus alius actus libidinosus in reuerentia: ex ipso (tanquam sacrilegio ex natura actus) prophanatio supra memorata confurgat, cum manifestatio eius aduenierit per communem famam, vel criminorum protestationem, ei probabiliter æquivalentem.

Quintum est: non esse sacrilegium de quo agimus, si quis foemina quam videt, aut cuius meminit, concupiscat in loco sacro, nisi appetat expresse, illam suam voluntatem exequi in eodem loco. Item nec si aspectus, nutus, aut verba inhonestæ: imo & actus alios quantumcumque turpes ibidem vsurpet, dummodo periculum absit pollutionis, effusionisve seminis; ita vt necesse non sit de talibus confitendo circumstantiam loci aperire. Ratio est, quia tales actus cum sint, vt *supp.* quimus, sine seminis effusione in loco sacro, ac sine illius peccato, non repugnant consecrationi loci, neque eum violant: adeo vt possint diuina officia in eo peragi ac defuncti sepeliri. Aduerte tamen si tales turpes actus coniuncti sint cum desiderio perpetrandi ibi carnalis operis, declarandi esse talis loci circumstantiam, non secus ac si perpetratum esset ibi opus: quoniam actus internus, & externus pertinent ad eandem speciem, quando vterque tendit ad idem obiectum cum iisdem circumstantiis: cum mactatis vero circumstantiis, minime. Et ideo sacrilegium est quidem, etiam existentem extra locum sacrum, optare copulam carnalem exercendam in loco sacro: nõ est tamen existentem in loco, etiam sacro, eam optare exercendam extra talem locum. De quibus Sanchez quidem pluribus in eadem disput. 15. quest. 2. Sed dicta, nobis sufficiunt.

Sextum est: quod idem in seq. quest. 3. late persequitur: Et ad quod pertinent iam dicta à nobis in lib. 14. cap. 6. sub initium, nomine loci sacri significari maxime Ecclesiam consecratam, aut benedictam ab Episcopo: ac diuinis, autoritate ipsius, deputatam. In qua, ad iudicandum de sacrilegio nobis proposito, spectandum est spatium pertinens ad corpus ipsius interius: vt pertinere censetur illud quod in ea est à pariete summi altaris ad parietem oppositum, limenque ianuarum, & ad pauimentum vsque ad interius rectum seu tabulatum, aut cõcamerationem. Cætera enim spatia supra vel infra, vel extra Ecclesiam esse dicuntur, non autem in Ecclesia: nisi forte in illis constituta esse: facella eiusdem Ecclesiæ, ad quæ per eam pateret aditus: talia enim censentur ad ipsum corpus Ecclesiæ pertinere, atque conditionem ipsius subire; si ad diuina deputentur, id est, ad canendas preces Canonicas, aut ad Missam dicendam, aut ad fideles sepeliendos. Quæ conditio additur, vt excludantur camere insititæ ad aliud vsum; vt sacristia ad conseruandas res Ecclesiæ, & campanile ad continendas campanas quibus populus ad diuina vocatur: claustra item Religiosorum non destinata ad sepulturam: eorundem habitacula, & officina.

Quæ omnia citatis auctoribus Sanchez in eadem disput. 15. quest. 4. tractans; amplius notat in num. 37. illam nomine Ecclesiæ non censeri, quæ autoritate Superioris destructa est sine spe reparationis; & in num. 38. partem qua amplificata est Ecclesia aliqua, licet non benedicatur comprehendere nomine loci sacri: quia pars addita coalescit in vnum corpus cum prioribus partibus. De eo quod idem disputat num. 39. an eodem nomine loci sacri comprehendantur oratoria, quid teneri debeat satis intelligi potest ex his quæ diximus in memorato cap. 6. De cõmeteriis ab Episcopis benedictis quod reputari debeant loca sacra in quibus seminis aut sanguinis effusio sit sacrilega; patet ex eo, quod nequeant ibi fideles defuncti sepeliri, donec reconcilientur: ex cap. vnico. De consecr. Ecclesiæ in 6.

De peccato contra naturam.

SECTIO VIII.

VLtima species luxuriæ, est peccatum contra naturam, consistens in actibus venereis, in quibus peruertitur ordo quem natura postulat, vt sequatur conceptio prolis eiusdem speciei. Qui ordo quinque requirit. Primum est, cõiunctio duorum: secundum, eadem natura in vtroque; tertium, sexus diuersus: quartum, vasa congrua: quintum, debitus modus: ex quibus distinguuntur diuersæ talis peccati species

(de quibus cum D. Thoma Caiet. 2. 2. quaest. 154. art. 11.) nam ex defectu primi, constituitur mollities, consistens in corruptione sui absque alterius coniunctione: ex defectu vero secundi, constituitur bestialitas, quæ committitur coniunctione hominis cum bestia, vel etiam cum demone: ex defectu porro siue tertij, siue quarti constituitur Sodomia, qua mas cum mare, aut femina cum femina, coniungitur; aut si mas cum femina, id non fit in vase congruo accommodatoe ad generationem: ex defectu demum quinti modi, constituitur inordinatus concubitus: qui cum sit quoad cætera naturalis, quoad modum est contra naturam, ita ut semeti ad proles generationem recipi vel attrahi non possit. Idem iudicium est, si alter ex cõcumbentibus, receptionem ipsam, vel attractionem impediatur, iuxta ea quæ loco cit. dub. 5. habet Caiet. cuiusmodi peccatum censetur fuisse commissum ob Onan filio Iudæ, quando cohabitando cum Thamar effundebat semen in terram: camque ob causam occidit eum Dominus, tanquam facientem rem detestabilem, ex cap. 38. Geneleos.

Quod si peruersio modi non sit tanta quin cõceptio prolis sequi possit, non censetur peccatum istius generis, neque de se mortiferum ex probabiliori sententia: pro qua auctor res magno numero refert Thom. Sanchez lib. 9. De matrim. disp. 16. num. 3. Ad cuius confirmationem supponendum est primo, eam intelligi de copula coniugali: supponiam de alia, tanquam fornicaria, non dubitatur peccatum esse mortale. Supponendum est secundo, in ordinationem, ex qua in coniugali copula oritur malitia, ratione peruersionis modi naturalis, accidentariam esse eidem copulæ, cum secundum substantiam suam tantum requiratur, ut exerceatur inter legimos coniuges, accommodate ad finem coniugij: qui est prolis generatio. Supponendum est tertio, eandem inordinationem influere malitiam in coniugalem copulam; non quidem ex parte situs corporis secundum se sumpti, sed ex parte causæ propter quam is usurpatur: ut pater, quia non est illicitus, quando ex iusta causâ usurpatûs fuerit sine periculo effusionis seminis extra vas, ac sine impedimento conceptus prolis. Cuiusmodi causâ cõsuetudo dispositio corporis in homine valde obeso, itemque periculum suffocationis fetus in muliere grauida, & si quid aliud sit, quod non patiat modum ordinariu cõeundi.

Quibus ita suppositis, proposita sententia ex eo confirmatur, quod malitia contingens in coniugali copula peruersi ordinis, sit tantum finis indebiti: puta delectationis venereæ in illa quæ sita intemperanter: quæ intemperantia nõ est mortalis, nisi egrediatur terminos coniugij; prout censetur egredi in eo, qui ad talem delectationem adeo afficitur, ut quantumcumque vxor non esset ea cum qua copulatur, aut etiam si conceptio fetus impidiretur, vellet nihilominus ea frui: Quæ voluntas perinde peccatum est mortale, ac copulatio cum aliena, aut cum propria quidem sed impediendo prolis generationem: quia actus internus & externus sunt eiusdem malitiæ.

Consequens est autem ex his, quod præter alios, quos Sanchez refert, Toletus in summa lib. 5. cap. 13. sub finem habet: à mortali excusari actum coniugalem in quo vir succumbit femine, vel retro ad eam accedit si absit periculum effusionis seminis extra vas (ut abesse potest, cum semen in semineam matricem attrahatur per vim naturalem existentem in ea, sicut in stomacho inest naturalis vis attrahendi cibum) nec conceptus prolis impediatur. Quod tamen nõ obstat quin ad notitiam status Pœnitentis, talis circumstantia aperienda sit in confessione: tum quia illam mortalem esse multorum sententia est, quorum in præced. num. 2. Sanchez meminit: tum quia omnes concedunt esse veniale valde graue, quod tanquam brutalitatem quandam Confessarius dissuadere debeat, etiam ex oburgatione.

Cæterum quærenti; An coniugi exigenti copulam quoad modum indebitam, alter teneatur, aut possit reddere. Respondendum est, ut respondet Sanchez alius citatus in ead. disp. 16. num. 8. nec teneri: nec posse reddere cum periculo effusionis seminis extra vas, aliove impedimento generationis prolis: quia peccatum esset de se mortale, contrarium legi proprioque huius matrimonij. Alias autem si necessitas petentem excuset à peccato, alterum & posse & teneri reddere, quia nul-

la est causa recusandi. Si vero necessitas non excuset, quia ille petit tantum ad maiorem delectationem; debere quidem recusare ob abusum: posse tamen reddere si alioqui timeret verbera. Aliæ incommoda iudicio prudentis merito metuenda: perinde ac vsuuenit debitori respectu creditoris ab eo ad abusum, pecuniam sibi debitam petentis, grauib. minis interpositis.

De mollitie.

SECTIO IX.

Mollities est voluntaria seminis emissio absque copulâ, quæ alias dici solet voluntaria pollutio & immunditia. Pro cuius maiore noticia notandum est primo, quod aliis citatis habet Sanchez, in lib. 9. de matrimonio, disp. 45. in princip. ex membro pudendo præter vrinam & semen, procedere aliquando tertium quendam humorem medium, qui semini est similis in colore, & infectione, carnisque commotione, quæ ipsum aliquando comitatur: dissimilis autem in eo, quod nõ sit ita mordax ac crassus, faciliusque fluat, nec cum tanta carnis commotione, & in minore copia; atque aliquando inperceptibiliter, & sine carnis motu. Solet autem appellari distillatio: de qua, nisi rebellio carnis eam comitaretur, non esset magis curandû quam de sudore; ut idem addit ex Caiet. in tom. 1. opusc. tract. 22. art. 2. in fine. Eam autem non esse pollutionem, D. Thom. in Opusc. 64. cap. De fluxu seminis, notat deprehendi hoc signo, quod pollutio in vigilia nequeat esse absque carnis commotione, & venerea delectatione, seu tali, qualis percipitur in concubitu.

Notandum est secundo, quod mollities peccatû sit mortale, consistere ex eo, quod D. Paul. in priori ad Corinth. cap. 6. versu 9. ponat molles inter eos qui à regno cœlorum excluduntur; & ad Galat. cap. 5. immundiciam ponat inter peccata quæ qui agunt, regnum Dei non consequentur. & ad Ephes. cap. 5. immundum numeret inter eos qui non habent hæreditatem in regno Christi & Dei. Accedit ratio, quod ipsa sit contra naturam, ut pote quæ aduersatur generationi, ad quam natura destinavit semen: itemque bono communi, quod magno perlederetur per fornicationes, adulteria & alia id genus flagitia: quæ cõsenserunt concessa, si extra matrimonium eiusdem seminis liceret.

Quæ ratio etiam si locum non habeat in distillatione præmemorata: sufficienter tamen insinuat illius procuracionem, peccatum mortale committi: cum & ipsa tunc coniunctam habeat notabilem commotionem spirituum vitalium, generationi & seminis effusioni deseruentium; vnde fit ut cõsuetur pollutio quædam inchoata, & ad eius consummationem ordinetur.

Hic occurrit dubium; An cum semen est perniciosum vitæ, liceat conari illud expellere. Ad quod Thomas Sanchez in præced. disp. 17. num. 19. respondet distinctione: inquiring illam perniciem oriri posse, vel ex quantitate seminis, quia nimis abundat; vel ex qualitate; quia corruptum est, transiitque in qualitatem venenosam. Atque superbundantem non esse licitum expellere, quia prolificum est: cuius effusionem aliter curare non licet, quam per copulam coniugalem. Corruptum autem licitum esse pharmaco, & medicinis expellere, quando iudicio medicorum id fuerit necessarium ad vitæ consequationem. Rationem reddit, quia talia medicamenta nullatenus ordinantur ad effusionem veri seminis, sed tantum corrupti, quodque transiit venenosam qualitatem. Nec refert, quod aliquis emissio veri seminis per accidens, & præter intentionem subsequatur: quia id prouenit ex re necessaria ad salutem corporis; vnde sicut est licitum pudenda ostendere chirurgo cum exigat necessitas medendi eis, aut ea incidendi (ut quando femina est arcta) etiam si per accidens ac præter intentionem aliquid pollutionis sequatur, pœni sani ratione licebit expellere prædictam prauam qualitatem in quam semen transiit; præsertim cum in tali casu (etiam si per accidens sequatur pollutio) procul absit periculum in eam cõsentiendi ob delectationem: tali infirmitate scilicet oblitente, reprimentequæ eius vehementer.

Iam si esset dubium, num ex quantitate, an vero ex qualitate seminis infirmitas proueniret: si quidem iudicium medicorum tale sit, ut qui doctiores sunt inter eos neutri

parti acquiescant, non licebit illud expellere, tanquam manens in possessione opinionis quod ipsum sit verum, & generationi aptum: cum talis aptitudo ei suapte natura conveniat. Sin autem iidem medici opinentur probabiliter infirmitatem provenire ex qualitate seu corruptione feminis, licebit tunc expellere illud, non obstante formidine aliqua de contrario; quoniam probabilem opinionem sequens, potest tutus esse in conscientia, tanquam agens prudenti consilio.

41. Notandum est tertio, quod cum pollutio carnalis contingere possit, tum in somno, seu omnino dormientibus: tum in vigilia, seu omnino excitatis à somno: tum demum partim in somno, partim in vigilia, seu nondum ita excitatis à somno, quin adhuc semidormiant. Notandum, inquam, est primo modo contingentem, non esse in se peccatum ob defectum vsus rationis, in eo, qui polluitur: & tertio modo non esse peccatum plusquam veniale ob defectum pleni vsus rationis: ita ut secundo maxime modo, sit ea cui convenit memorata ratio peccati mortalis.

Notandum est quarto, pollutionem quæ non est in se peccatum mortale, posse esse in alio: nimirum, tum in sua causa, tum in suo effectu: seu, quod idem est, tum in antecedentibus, tum in consequentibus ipsam. Atque in antecedentibus tripliciter: prout patet ex Navar. in Enchir. cap. 16. num. 7. & 8. Ac primo in desiderio, affectuque deliberato: ut cum quis deliberate desiderat pollutionem habere; idque ob delectationem carnalem. Quod addo: quia si desiderat prout simpliciter via naturali provenit à naturalibus causis sine omnilibera cooperatione, idque ob aliquem rationabilem finem: ut ob sanitatem, vel ad sedandas carnis tentationes quibus interdum vexatur, excusari potest à peccato: dummodo non sit tale desiderium quod det causam pollutioni. Pro quo preter Navar. aliquot alios Lessius De iust. & iure lib. 4. cap. 3. num. 106. refert.

Secundo, peccare potest procuratione ipsius pollutionis; sicque semper est peccatum mortale ob quemcumque finem ea procuratur. Vnde qui cibis calidis vescitur, vel aliud facit eo animo, ut in somno pollutio ei accidat, mortaliter peccat. Quod si obiciat, licere pollutionem desiderare propter sanitatem, ideoque pariter licere, illam propter hanc procurare. Respondet Navar. non valere eam consequentiam, ut necessitam. Licet desiderare mortem hominis nequam & perditum: ergo licet ipsum occidere.

Tertio, peccare potest mortaliter in eo quod non remoueat causam futuræ pollutionis quam animaduertit, aut debet animaduertere. Nec enim excusatur ille qui facit id vnde sequitur pollutio, si probabiliter cognoscit eam indefecturam: aut ignoret quidem, sed ex magna sua negligentia: sicut censetur is qui sæpe experitur pollutionem sequi ex eo, quod tali modo dormiat, & negligit ad id aduertere. Attrahens ad tale peccatum non sufficit in hoc casu aduertere causam: sed præterea requiritur. Tum ut quis eam animaduertam remouere valeat, cum non valens non peccet: nisi forte, quod intrinsece malum est, in pollutionem ipsam consentiat, sibi vel ea complacet. Tum etiam, ut talis causa sit, quam teneatur remouere: sicut teneri censetur cum nec ad notabile bonum consequendum, nec ad notabile detrimentum evitandum, siue proprium siue alienum ea conduceret.

42. Sic enim conducatur, dummodo absit periculum consentiendi, nec sit res qua de se consentiat ad pollutionem, nec ad eam ordinetur intentione agentis: quantumvis prævideat quis eandem securitatem ex tali re, non ideo tenetur hanc remouere, ob periculum pollutionis, si sciat hanc securitatem tanquam modo per accidens: nempe patiendam eam ex humana infirmitate, neque consentiendo in eam. Ratio autem est, quia persequentis sui, seu facienti quod iure potest, non imputatur effectus inde per accidens, ac præter intentionem suam subsecutus: cum alioqui multæ actiones necessariae omittendæ essent, innumerique viderentur laquei timoratis conscientis iniecti, quod minime dicendum est.

Ex qua doctrina pro qua aut hores magno numero refert Sanchez in lib. 9. De matrimonio disput. 45. num. 4. deducitur, eum qui predictarum rerum studio incumbit, non ex curiositate, sed ad bonum finem, non teneri ob periculum pollutionis relinquere id ipsam studium; nisi simul periculum esset con-

sentendi in illam. Quod idem iudicium est de aliis occupationibus non consentientibus quidem ad pollutionem, habentibus tamen per accidens coniunctum illius periculum, si necessariæ sint ad aliquid notabile bonum acquirendum, vel notabile detrimentum vitandum. Sic qui ex gerto accubitu intelligit pollutionem, sequi: si aliter nequeat dormire, non tenetur aliter accumbere. Similiter qui non habet cibos quibus vescatur, nisi eos vnde pollutio timetur, non tenetur abstinere, si abstinentia sit ei notabiliter nocitura. Item qui ex causa valde virgente (ut quia morbus est gravis, nec alius adest qui mederi valeat) medici exercet ministerium: quod etsi de se ad pollutionem nihil conferat: ex eo tamen, si data sua infirmitate, prævidet imminere sibi illius periculum; siquidem firmiter sibi persuadeat se minime in eam consenturum, excusari potest à peccato. Potest etiam is qui se in periculo pollutionis equitando, si talis equitatio sit ex causa rationali; & cesset periculum consensus. Potest quoque fricans verenda ad sedandum pruritus illorum, & ex quo magnam patitur molestiam.

In quibus & aliis similibus periculum pollutionis non obstat excusationi à peccato, dum agendi necessitas virget (modo absit periculum consensus in illam) ex eo patet, quod mulier supra patiens verendum arctitudinem, si per incisionem à chirurgis factam, possit apta fieri copula, teneatur illam pati, ex cap. Fraternitatis, De frigidis & maleficis. Itemque ex eo, quod matronæ, ut iuxta cap. Nec aliqua, 27. q. 1. & cap. Proposuit, De probationibus, iurare valeant puellam aliquam esse virginem; possunt illius verenda inspicere ac tangere. In quo viroque casu dubium non est adesse periculum pollutionis satis probabile. Et certe durum esset de mortali damnare fordes verendas ad hærentes abstergentem, nec pruritus & fetorem patiatur: cum eiusmodi actio non sit talis, quæ ad pollutionem tendat de se, sed tantum per accidens; nempe ex infirmitate agentis; absque ex diuinæ maiestatis timore, vel amore, periculum consentiendi in eam: quod quidem si adesset nulla daretur excusatio.

Notandum est quinto: magnam difficultatem esse inter Doctores; An age tradita excusatio locum habeat, quantumvis non absit agendi necessitas, dummodo absit periculum consensus in pollutionem. Ac diuersos diuersa sentientes refert Sanchez in cit. disp. 45. n. 11. 12. & 13. Nobis pro prævi sufficit cum eodem in sequen. numeris, illam explicare supposita distinctione causarum, in quibus pollutio prævidetur. Quædam enim sunt ex luxuriæ genere, seu per se tendentes ad actus venereos, ordinatove ad excitandum feminis fluxum: ut tactus, aspectus, & verba quibus appetitus ad luxuriam excitatur, relinquendo vestigium quoddam, & inclinationem ad illam, prout argumento sunt luxuriosa somnia, cum pollutione contingunt dormientibus, sicut D. Thom. 2. 2. quest. 154. art. 5. artigit. Quædam vero non sunt ex genere luxuriæ, id est, de se minime pertinent ad luxuriam, ut vsus vel potus abundantior, equitatio, aliarque similes actiones, ex quibus præter intentionem agentis, provenit feminis decisio; non quidem facta per appetitum sensitivum, quæ tendit suapte natura ad coitum: sed per vim expulsiuam, tendens de se ad naturæ allevationem.

Quæcumque ita sint: si quidem causa in qua pollutio prævidetur sit prioris generis, nimirum actio per se tendens ad venereos actus excitandos, ac pollutionem consummandam, excusatio non est à mortali, nisi ex indeliberatione: quia lex naturalis obligans ad non procurandam feminis effusionem, obligat quoque, nisi necessitas excuset, ad evitandas causas per se ac notabiliter influentes ad eam; cum tales nulla necessitate virgente admittere, sit in effectum ipsarum, pollutionem inquam, consentire: quod censetur mortale. Sin autem causa in qua pollutio prævidetur sit posterioris generis, seu non venerea; & per accidens tantum, concurrentis ad pollutionem, potest esse excusatio à mortali: dummodo absit consensus in ipsam pollutionem, ac in eiusdem periculum. Ratio est, quia licet ad illam concurrat per accidens, non est tamen vere & mortaliter causa illius. Vere enim procedit à vi naturali expultrice, quam suum effectum fortiri nemo sub mortali impedire tenetur, nisi forte concurrat alia causa per se voluta, influens notabiliter in eiusmodi effectum: id quod prudentis iudicio definiendum relinquatur.

Notandum

44. Notandum est sexto de malitia pollutionis quæ in sua causa non pertinet ad luxuriam, præuisa est quidem, non tamè intentata iudicandum non esse ex speciali malitia quam ea ipsa causa habet; ita ut quantumvisque eadem suo genere sit mortalis; si prout talis nihil conferat ad pollutionem, hæc non sit propter ea mortalis censenda: ut si quis comedat rem suæ sanitati valde nocentem in qua præuidet, sed non intendit pollutionem. Istud Sanchez habet in ead. disp. 45. n. 17. & ante eum Suarez & Valquez, quos ipse refert in præced. nu. 16. Ratio vero est, quod de peccatorum aggravatione iudicandum sit tantum ex accidentibus quæ ad illam conferunt, prout habitum est in præced. libr. 14. cap. 2. sub initium. Cætera enim censentur esse tantum physica, non item moralia accidentia.

Notandum est septimo: pollutionem nullo modo in se volitam, sed indirecte tantum in sua causa, non esse peccatū, suā malitiā interiorē sed exteriorē suæ causæ: quia non aliter quidquam peccatum est, quā prout voluntarium; cum ubique cessat ratio voluntarij, cessat & ratio peccati. Ita docentes plures refert idem Sanchez in seq. n. 28.

Consequenter inferens, pluribus quoque citatis: cum qui occasionem culpabilem dedit pollutioni, si de eo legitime peccauerit, antequam hæc subsequatur, postea subsequente, vacare culpā: cum non habeat intrinsecam ut pote in se non voluntariam: nec extrinsecam ex data illius causa; quia culpa commissā eam dando absterfa est; præuāque voluntas emendata penitendo. Atamen in confessione aperienda erit subsecutio ipsa ad plenam manifestationem culpæ antegressā.

45. Notandum est octauo, Quoties peccatū mortale est pollutioni præuisæ causam dare, non remouendo hanc notabiliter influentem in illam, toties similiter mortale esse, causam dare præuisæ notabili ei distillationi, cuius meminimus in præced. nu. 39. & 40. aut commotioni spirituum vitalium generationi seruientium. Ratio est, quia talis tum distillatio, tum commotio notabiliter turpis est, & quædam pollutio inchoata, & ad eius consummationem de se ordinata. Quamquam tamen sicut coniugati possunt sine mortali culpa se mutuo tangere & aspicere, ac inter se verba lasciuia vsurpare, deq; futura copula cogitare cum aliqua venerea delectatione, ita etiam possunt a mortali excusari si in eo sentiant sponte aliquam commotionem spirituum vitalium generationi deservientium, aut etiam distillationem prædictam; etiam si non excusentur si consentiant in pollutionem, aut in pollutionis periculum: quoniam voluntaria effusio seminis proveniens aliunde, quam ex coniugali copula, nusquam a mortali excusatur: cum semper repugnet naturæ institutioni, quæ ob commune bonum administratio eiusdem seminis, nullo modo extra ipsam coniugalem copulam, permittitur hominis arbitrio.

46. Notandum est nono, Actum mortaliter turpem contra sexum præceptum, si in eo prævideatur pollutio, etiam si non intendatur, habere specialem malitiā mollitiei, ob ipsam pollutionem præuisam: cum qua connexionem habet naturalem, per quā notabiliter in eam influit: & est per se illius causa. Quintimo ob hanc eandem rationem, ut bene Sanchez notat in nu. 24. id ipsum verum est etiam si pollutio non prævideatur: si quis tam diu persistat in actu turpi ex quo sequitur pollutio, vel eius periculum; ut censendus sit debuisse præuidere: quod arbitrio prudentis relinquatur.

Notandum est decimo, quamuis non liceat pollutionem procurare tamen quædo cepta in somnis, est in naturali fluxu dummodo cesset periculum consensus in delectationem veneream, ad quod opus est in ploratione diuini auxilij licet eam non impedire ad vitandum morbi periculum. Ratio est, quia id non est procurare sed pari effusionem seminis, ne corruptum noceat. Pro quo, aliquot authoribus citatis, Sanchez in seq. disp. 47. nu. 17. ait, ipsum habere etiam locum ubi pollutio ceptæ culpa patientis: si quidem præteritæ culpæ peniteat: quia per penitentiam amouet causam præteritæ culpæ: deincepsque solummodo patitur, ac non resistit eidem passioni, ad sanitatis conseruationem, quæ est finis conueniens ac optabilis.

47. Notandum est vndecimo, Quoad pollutiones ex Dæmonum illusionibus, vel natura debilitata provenientes in somno;

cas non esse de se peccata; posse autem esse, tum in sua causa iuxta antedicta: tum etiam in suo effectu: ut quando quis in ea facta complacet sibi ob delectationem veneream acceptam, quæ est materia de se illicita: non vero si ob aliquem bonum finem, ut releuationem à carnis vehementioribus stimulis.

48. Notandum est duodecimo, Pollutionem, etiam contingentem in vigilia cum plena rationis aduertentia, non esse peccatum, si quis voluntatis consensum ab ea omnino cohibeat, studeatque causam eius remouere iuxta antedicta. Imo vero si patienter ferat molestiam, quam patitur occasione talis infirmitatis, ea est illi causa meriti.

Notandum est decimotertio, In pollutione voluntaria, cum peccato mollitiei peccata alia concurrere: aliquando vnum, aliquando plura: nam si quis illam admittendo, desideret vel imaginetur vnam virginem, vnum stuprum: si vnā coniugatam, vnum adulterium: si plures, plura siue supra siue adulteria, cum mollitie concurrunt: & sic de cæteris siue specie siue numero differentibus: quæ omnia in confessione distinctè explicanda sunt.

Notandum est postremo, Mollitiem aliquando committit ab vnica persona seipsam prouocante, siue mas sit siue femina: aliquando à duabus vna alteram adiuuante: quod multis modis contingere potest: quos quia speciem peccati non mutant, non est necesse Confessarium cognoscere, sed sufficit ut cognoscat pollutionem factam esse cum auxilio vel sine auxilio alterius. Hæc qui plenius tractata optet, legere potest Ioannem de Salas ad 1. 2. D. Thomæ tomo 2. tractat. 13. disp. 6. sect. 11. & septem sequentibus. Ea paucis perstringere visum est consultum, & sufficere Confessario pro ordinaria praxi.

De Sodomia & bestialitate.

SECTIO X.

49. AD constituendam proprie dictam Sodomiam (licet nobis pro animarum salute quod medicis licet pro salute corporum, res suis verbis ut facile capiatur exprimere) requiritur commixtio viri siue cum viro, siue cum femina in ea corporis parte per quam, ut Scriptura loquitur Matth. 15. numer. 17. quod intrat in os vadens in ventrem emittitur in secessum. Vnde in rigore, nõ est Sodomia si mares se mutuo complexi etiam vno alteri supposito, sequatur seminis effusio; dummodo ea non fiat, intra memoratum vas: quia si fiat complebitur ratio Sodomie. Vnde aduerte (quod Nauar. attingit in Enchir. cap. 27. nu. 249. §. 4. versus finem D. Thomæ 2. 2. quæstio. 154. art. 11. generaliter sumere nomen Sodomie, dum eo comprehendit omnem pollutionem habitam cum alio vel alia extra vas ordinariū: quia ipsum proprie dicitur tantum de ea effusione seminis intra memoratum vas, quam Nauar. appellat copulam Sodomiticam: adferens in confirmationem id quod habetur in cap. finali De sponsalibus, non consummari copulam nisi intra vas naturale semen effundatur.

Memorata igitur effusio non Sodomia, sed mollities est proprie: ea tamen grauissima, perinde ac quando vir coiens cum muliere effundit de industria semen inter coxas ipsius, ut accidit Onam coenanti cum Thamar cuius antea meminimus. Ob quam grauitatem mollitiæ superadditam, talis circumstanti quantumuis non mutet speciem explicanda est in confessione ad aperiendam magnitudinem intemperantiæ, & effrenatæ libidinis cum qua tale flagitiū perpetratum fuit. Adde & consensum in alterius peccatum mortale, aut certe ei illam iniuriam, si is à peccato excusetur, eo quod non sponte sed violenter, aut ignoranter, ut contingere potest dormienti, tale quid ipsi contigerit. Sic autem fieri potest talis declaratio tacitis studio honestatis particularibus modis. Passus sum voluntariam pollutionem cum alterius contactu aut amplexu, aut etiam congressu: sine Sodomitico tamen affectu; qui quidem affectus interueniens exprimendus est, tanquam mutans speciem: quippe qui Sodomie malitiam habet.

50. Quam graue autem peccatum sit Sodomia, satis patet ex supplicio quo punitum est; à Deo Genes. 19. & ex exaggeratione

ratione qua D. Paulus ad Rom. 1. aduersus illi reos vitur, & ex poenis quibus eosdem afficiendos esse ius decernit. Ciuile enim in authenticis, collat. 6. tit. Vt non luxurietur homines contra naturam, decernit poenam acerba mortis: nimirum flammam, iuxta ea quae ex eodem iure notat Couar. ad Clem. vnicam De homicidio, 1. parte §. 1. n. 6. atq; receptam consuetudinem. Canonicum ius vero statuit in capit. Clerici de excessibus Praelatorum: si Clerici sint, deponantur vel in monasterium ad agendam poenitentiam detradantur. Sin laici excommunicentur. Et per constitutionem Pij 5. verbis illis, quae refert Nauar. in Enchir. cap. 27. n. 149. omni priuilegio clericali, officio, beneficio ac dignitate priuantur: ac praecipuntur tradi brachio seculari post degradationem ipsorum per Iudicem Ecclesiasticum. Quae priuatio, vt Nau. ipse bene declarat, ipcurritur ipso iure, ab eo qui tale flagitium exercet, id est, id est, qui sic in illud labi consuevit, vt arbitrio boni viri dici possit exercitator illius; non autem ab eo qui cadit aliquoties, & ipsum poenitet cecidisse.

Legendus est ibidem ipse Nauarrus: tum pro pleniore eius rei noticia: tum pro eiusmodi criminosis excusatione ab irregularitate, cui Couar. loco cit. obnoxium ipsum esse existimat, relatis aliquot alijs in suam sententiam. Quam Nauar. ex eo rejicit, quod irregularitas incurrat tantum in casibus iure expressis ex cap. Is qui, De sentent. excommun. in sexto. Neq; ad eam peccati enormitas sola sufficiat, cum odium Dei sit peccatum naturam suam grauius quam Sodomia, nec tamen cum fuerit occultum, inducit irregularitatem: vt non negarit Couar. Quare nec Sodomia occulta inducet. Quae ratio cum tanti doctoris autoritate, potest in praxi sufficere ad moralem certitudinem.

De bestialitate, quod grauitate malitiae Sodomiam superet, ratio ipsa naturalis, & conscientiae dictamen (quod ne quidem in improbiis penitus extinguatur) satis superq; vnicuique testificatur. Certe cum Sodomiam in se perinde includat, ac adulterium, fornicationem, superaddendo differentiam mortaliter aggrauantem, censenda est malitiae grauissima: quam Scriptura sacra indicauit cum in illius detestationem statuit Leuitici 18. & 20. non modo illius perpetratores, sed etiam bestiam cum qua perpetrata fuerit, morte delendam esse. Quod autem ipsam poenis quibus Sodomia faciat obnoxios illos qui ea se contaminauerint, non videtur dubium: cum vt diximus Sodomiam ipsam includat: perinde ac adulterium, fornicationem.

Caeterum cuius speciei fuerit bestia cum qua commissum est tam nefandum scelus, non est necesse Confessarium inquirere: quia inde non variatur species peccati: nisi forte fuerit bestia infernalis, seu daemon incubus aut iucubus: quia coniunctam habet malitiam pacti cum daemone, aperiendam in confessione, tanquam aggrauantem mutando speciem. Circa Sodomiam autem inquirenda est circumstantia personae, ad intelligendum an coniunctam habeat malitiam adulterij, aut sacrilegij aut incestus. De caetero circa vtrumque tale flagitium antequam absolutio detur, curandum est vt sublata sit occasio illorum propinqua: imo vt criminofus ad Superiorem pro ea remittatur non tantum quando fuerit illi reseruata, vt plerumq; solet: sed etiam nonnunquam quando non fuerit: nimirum propter illius enormitatem, de qua consultum est Superiorem cognoscere, qui efficacius remedium ei adhibere posse censetur.

CAP. V. TIMVM.

De gula.

SUMMARIUM.

52. Definitio gula, cum modis quibus ea contingit.
 53. Septem casus in quibus peccatum gula est mortale.
 54. Species gula crapula & ebrietas, quodq; peccatum gula censeri possit solummodo veniale etiam si in eo commissum sit excessus vsq; ad vomitum.
 55. Ebrietas procedens vsq; ad priuationem vsus rationis peccatum est mortale, duobus casibus exceptis.
 56. Quid sit iudicandum de nimio potu sine priuatione vsus rationis.
 57. Signa ex quibus deprehenditur cuiusmodi fuerit ebrietas.
 58. Peccatum concurrentis ad alterius ebrietatem.

59. Quomodo explicandum sit in confessione peccatum ebrietatis.
 60. Quomodo facta in ebrietate sint peccata, aut a peccato excusentur.

61. De contrariis factis in ebrietate, & penis ebriorum.

62. De siliabus gula.

DE gula peccatum fitur in ordine ad sextum & nonum Decalogi preceptum, tanquam de eo quod fouet luxuriam, iuxta illud tritum, Sine Cere & Baccho friget Venus; & illud quod Ezechielis 16. vers. 49. inter causas iniquitatis Sodome ponitur saturitas panis: & quod ad Ephes. cap. 5. vers. 18. Apostolus vetat inebriari vino in quo est luxuria. De illa autem instituit tractationem Gratianus dist. 55. 41. & 44. D. Thomas ac ipsius interpretes 2. 2. quaest. 148. & 150. Summularij in verbo Gula, & in verbo Ebrietas, Nauar. in Enchir. cap. 23. num. 119. & alij quos commemorat Sebastianus Medices in sua Summa De peccatis tit. 7. quibus accesserunt recentiores aliquot.

Definitio gula, & quibus modis ea contingat.

SECTIO I.

EST autem gula cibi potusq; appetitus inordinatus, seu excedens rationis prescriptum. Quod fieri potest quinque modis indicatis hoc versu:

Præprope, laute, nimis ardent, studiose.

Quorum sensus est, peccatum gulae comedendo vel bibendo committi ab eo, qui praue nit tempus debitum, aut qui querit nimis, pretiosum cibum & potum, aut qui nimis, multum sumit, aut qui sumit cum nimia auiditate, aut qui cibos querit nimis delicate praeparatos. Hos ex D. Greg. lib. 30. Moral. relatos tractat D. Thom. in cit. qu. 148. art. 4. De quibus notandum est, peccatum gulae committi, tum in substantia cibi & potus, cum praeter modum ea est pretiosa & lauta; tum in quantitate, cum quis plus sumit cibi & potus, quam egeat ad sustentationem suam: tum in qualitate, cum quis querit cibum nimis exquisitè apparatus: tum in ipsa delectatione gustus: quae nimis placens, efficit vt cum auiditate nimia cibum & potus sumantur: tum demum in tempore, cum cibum & potus indebito tempore sumuntur.

Casus in quibus gula peccatum mortale est.

SECTIO II.

PORRO quocunq; ex his modis peccatum gulae committatur, mortale est in septem casibus. Primus est, quando in delectatione cibi & potus ponitur vitae finis: vt censetur fieri ab ijs qui nihil querunt aliud, quam edere, & bibere: ei delectationi postponentes diuinam voluntatem: ita vt quadret in eos illud Apostoli ad Philip. 3. Quorum Deus venter est.]

Secundus, quando ex appetitu cibi, & potus aliquis id agit à quo abstinere ex praeepto obligatur sub mortali, vt is qui diebus ieiunij vescitur carnibus, aut in diebus ieiunij, illud frangit, cum seruire possit, aut qui lautis ac pretiosis cibis vescendo contrahit debita; seq; impotentem reddit ad ea soluenda, aut qui non succurrit proximo, grauem necessitatem patienti, aut qui ideo filias suas in statu debito non collocat.

Tertius, quando damnum notabile corpori infertur: vt cum quis cibi & potus sumptione grauius offendit sanitatem corporis: item cum alteri causa est eiusdem incommodi; illum in talem finem ad edendum & bibendum inducendo. Ad quod vtrumque requiritur vt quis ad tale quid aduertat aut aduertere debeat: prout debet cum alias expertus est id ipsum sibi met, aut alijs nocere.

Quartus, quando graue scandalum datur proximo. Quia in re quam grauius peccetur ostenditur illud ab Apostolo dictum in priori ad Corin. cap. 8. Si esca scandalizat fratrem meum, non manducabo carnes in aeternum, ne fratrem meum scandalizem.]

Quintus, quando cibum & potum est contra naturam: sic velci carnibus humanis, aut sanguinem humanum bibere, mortale peccatum esse docent communiter Theologi, quia repugnat naturae: vt argumentum est, quod omnes gentes apud quas fuit aliquid ciuilitatis, semper censerunt tale quid esse inhumanitatis ac feritatis. Quanquam vt causa infirmitatis, sic & causa necessitatis grauis, licere talem usum arbitrantur pleriq; quos refert & sequitur Leonardus Lessius de tu-

de iustitia & iure lib. 4. cap. 3. dubit. 2. Et ratio est, quod talis causa possit in humanitatem ac feritatem abstergere, nisi in eum finem quis occidatur.

Sextus casus est, quando ex cibi, & potus sumpti quantitate, aut qualitate, probabiliter timetur peccatum aliquod mortale committendum, & nihilominus non abstinetur a sumptione. Sic mortaliter peccat, qui compertum habens experientia, se ex aliqua sumptione sibi & potus concitari ad ventrea cum notabili periculo consensus, non cohibet se ab illa.

Septimus casus est, quando quis ob gula voluptates, peccatum aliquod mortale committit; vt furatur, contractus iniquos facit, &c.

Species gula, crapula & ebrietas.

SECTIO III.

54. **Q**uoniam gula partim in cibi, partim in potus immoderato vsu versatur, vt patet ex ipsius definitione: duæ species illius assignantur; crapula scilicet, & ebrietas: quarum prior cibi & posterior potus est appetitus inordinatus: de quibus Dominus Luca 21. admonet. Attendite vobis, ne forte grauentur corda vestra in crapula & ebrietate. & Apostolus ad Rom. 13. Sicut in die honeste ambulemus non in comestationibus & ebrietatibus. Qui idem ad Galat. cap. 5. inter opera carnis quæ qui agunt regnû Dei non possidebunt, ponit comestationes & ebrietates.

Atq; de crapula dubium est, an peccatum sit mortale cum quis deliberate ad vomitum vsq; replet se cibo. Cuius partem affirmantem tenent Angelus in verbo Immundicia, & Sylu. in verbo Gula num. 2. Negantem vero Caiet. in verbo Gula & in verbo immundicia, & Nauar. in Enchir. cap. 23. nu. 119. cum putat tunc tantum in esse peccatum mortale, cum quis sibi notabile detrimentum inde accersit. Ratio est, quod gula sit de eorum peccatorum numero, quibus homo peccat in seipsum, vnde sine graui læsione sui commissum, censeri potest minus, quam mortale, nisi aggrauetur aliunde.

Notanda de ebrietate.

SECTIO IV.

55. **D**e ebrietate notandum est duplicem eam esse; vnâ quâ homo priuatur omnino vsu rationis: & alteram qua nimium bibit quidem, non tamen priuatur vsu rationis. De priore communis consensus est, peccatum esse mortale. Nam D. Paulus in priori ad Corinth. cap. 6. vers. 10. inter eos qui regnum Dei non possidebunt, ponit ebriosos. Item constat hominem per talem ebrietatem nulla virgente causa seipsum afficere magno damno; & mirû priuatione vsus rationis per quam bruto similis redditur. Id quod mortale est tanquam contrarium charitati quâ seipsum diligere tenetur. Hoc quidem pluribus, tum authoritatib. tum rationibus confirmari potest, vt videre est apud Leonardum Lessium, de iustitia & iure lib. 4. cap. 3. dubit. tertia: sed quia res est satis aperta, nobis sufficere pro praxi addere duos casus, in quibus ebrietas eius modi excusatur à mortali. Prior est, qui vix habet locum in solito se inebriare, quando inebriatur quis præter intentionem: nimirum ignorando potus nimietatem, aut vim vini, aut complexionem suam.

Posterior casus est, quando quis secutus medicorum iudicium inebriat se ad recuperandam sanitatem, quæ nequit alia ratione recuperari. Ita docent in verbo Ebrietas Caietanus Fumus & Sylu. est. quæst. 7. Ac probatur quia si in simili casu licet membrum abscindere, multo magis licebit se vsu rationis priuare ad breuetempus, vt longo tempore libere eo vtendi facultas habeatur. Deinde vini vsus non est malus, nec illicitus: nisi sit contra temperantiam: sicut censetur tunc esse, cum bibitur intemperanter; atque adeo aliter, quam conueniat ad corporis sanitatem: quod non fit in proposito casu, in quo medicus potum vini ad ebrietatem vsque iudicat necessarium ad sanitatem recuperandam. Quod igitur Apostolus ad Ephes. 5. vetat inebriari vino, intelligendum est de ebrietate contraria temperantiæ: qualis non est illa, quæ ad corporis sanitatem censetur plane necessaria.

56. De posteriore ebrietate communis doctrina est, genere suo peccatum esse solummodo veniale: quod per accidens fiat mortale in casibus qui propositi sunt in præced. sect. 2. Et facilius, quod crapula: quia magis fouet alia vitia, prout indicant verba illa Sapientis Prou. 20. Luxuriosa res est vinû: & tumiditosa ebrietas. Certe dist. 35. cap. vlt. ebrietas aperte dicitur fomes, & nutrix omnium vitiorum. In quam sententiam qui plura videre vult, legat memoratum Lessium: possunt enim hæc sufficere ad iudicium nobis propositum.

57. Notandum est secundo vtum ebrietas priore modo contigerit, deprehendi (quod etiam Lessius notat) his signis. Primo, si factus ebrius non meminerit postridie; quid tunc dixerit, egerit, quomodo somnum, aut cubitum ierit, à quo ductus sit vel adiutus. Secundo, si ea commisit quæ mente sanus nunquam solet: vt si turpia, & absurda locutus sit; cum alias castus sit, & prudens; sicq; de alijs, quæ cum omnino insolita ei fuerint, indicia sunt, rationis confopitæ per imaginationis perturbationem ex vino prouenientem. Tantum autem posteriore modo ebrius esse censendus est: qui adhuc potest inter licitum, & illicitum discernere, malum vitare, & bonum eligere: quantumcumq; verbo vel opere ostendat ineptam lætitiã; & cerebrum sic turbatum sit vt domus aliquo modo verti videatur, & ambulando titubet, vertiginèq; patiat: non tamen tantam, quin solita officia exequi possit, etsi non sine difficultate. Quæ doctrina est Caiet. in verbo Ebrietas.

58. Notandum est tertio, in quibus casibus peccatum est mortale inebriare seipsum, esse quoq; inebriare aliû. Eodem enim peccato se contaminat, qui alterum inducit ad malum, ac qui malum facit, ex cap. 1. Epist. ad Rom. in fine. Vnde patet quod ex D. Anton. 2. part. titul. 6. cap. 3. §. 2. habet Tabiena in verbo Ebrietas num. 2. mortaliter peccare eum, qui ad potandum inuitat alium, quem probabiliter scit ebrium fore; ac multo magis (quod Tabiena addit ex Angelo in verbo Ebrietas §. 1. sub fine) eum qui quouis modo procurat, vt alius inebrietur, etiam si ebrietas non sequatur: quia consentit in notabile damnum proximi. Mortalis adhuc criminis reum cum D. Anton. Tabiena constituit illum, qui commode potest impedire ne alius inebrietur nec impedit: in confirmationemq; adfert cap. Si culpa De iniurijs, & damno dato. Cui accedit ratio: quia id, est contra charitatem proximo debitam. Ex quibus infero potero Tabiena grauis peccati reos esse caupones qui ex auaritia quadam ministrant bibentibus vinum, quo inebriandi sunt: vt ea ratione plus pecuniarum emungant.

Inferri quoq; potest sanctos Patres (vt Diuum Basilium homil. in ebrietatem; D. Ambrosium de Elia & ieiunio cap. 13. & D. August. serm. 231. & 232.) merito inuehi in consuetudinem prouocandi ad æquales haustus: cum ex tali potandi certamine ebrietas facile sequatur: cuius periculo probabili se vel alium exponere, peccatum est mortale: perinde ac se exponere probabili periculo alterius peccati mortalis. Adde quod mera corruptela sit bibendi regulam statuere, non quidem rationem, nec naturæ necessitatem, aut bonam valetudinem, sed alieni ventris & viscerum capacitatem, tanquam lagenæ, aut cloacæ potius in quam vinum transfunditur perdendum. Nec est quod dicatur ea se foueri mutuam amicitiam: quia facit Deum inimicum vt bene vsget D. August. in cit. serm. 231. quod maximum est malum, ipsaque morte peius. Vnde in sequenti sermone inter cætera, D. ipse Augustinus ait: etiam si ad hoc veniretur. Aut bibas aut morieris: melius erit vt caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur.

Deijs qui sunt in ebrietate.

SECTIO V.

59. **N**otandum est quarto, quod vt is qui sapius factus est ebrius, non satisfacit si in confessione dicat se fuisse ebrium: sed debet dicere quoties id ei contigerit, ita nec satisfacere eum qui procurauit plures, aut aliquem pluries inebriari, si dicat se inebriauisse aut inebriare voluisse alios: sed debet exponere quoties, & quot personas voluerit inebriare. Adde iuxta paulo post dicenda si quæ mala ex ebrietate contigerint, esse pariter exprimenda Ad quorum confirma-

tionem

GINAL
RAXIS
RIP
V

tionem facit communis doctrina de requisitis ad integritatem confessionis, tradita in lib. 6. cap. 4.

60.

Notandum est quinto, mala quæ in ebrietate fiunt esse aliquando peccata specie distincta ab ebrietate, aliquando vero esse circumstantias aggravantes ebrietatem, & demum aliquando nec peccata nec peccati circumstantias esse. Peccata enim sunt specie distincta, quando ante ebrietatem menti occurrerunt explicitè aut implicitè quidem, sed in principio moraliter sufficienti, ut eadem excitaretur ad talia prævidenda, præcauendaque. Ratio est, quia ille qui vult ebrietatè ex qua hæc vel illa peccata probabiliter subsequutura novit: is in ea ipsa ebrietate, tanquam in causa, pariter vult eadem peccata, reusq; illorum coram Deo efficitur: siue ex illa (ebrietate inquam) postea de facto subsequantur, siue non subsequantur: quia stud esset per accidens ex defectu obiecti; perinde ac si quis domum alterius incenderet, putans multos tali incendio vitæ priuandos, secusq; contingeret, eo quod accideret neminem ibi esse, quem corripiendo ignis priuaret vita. In ebrietate vero peccata commissa tunc sunt circumstantiæ ipsius, non item species ab ipsa distinctæ, quando ea fuerit culpabilis, & ante eam peccata eiusmodi minimè in mentem venerint, nec moraliter venire potuerint. Tunc enim voluntaria in se non sunt, quandoquidè ebrietas (dum fuerit) aufert rationis vsum: & ideo nequeunt culpam, vel deformitatem specificam habere aliam, quam ebrietatis. Vnde vt ex D. August. habetur in cap. Inebriauerunt, 15. qu. 1. Leth culmandus est, non quantum inebriatus, sed quantum ebrietas meruit.

Deniq; commissa in ebrietate nec peccata sunt nec circumstantiæ peccati, quando ebrietas ipsa fuit omnino inculpabilis. Nam nec voluntaria sunt in se: nec in ebrietate, quæ ex hypothesi fuit omnino inculpabilis: ob quam etiam causam nequeunt circumstantiæ peccati censeri. In horum gratiam aduerte commissa in ebrietate, etiam voluntaria, propterea non esse peccata in se, quod in tali statu, ob defectum vsum rationis, non exercentur libere. Imò vero nec esse peccata in alio, tanquam effectus peccati cuius malitiam contrahant, nisi in eodem præuisa sint. Quando enim nullo modo prævideri potuerunt; nullo modo peccata esse, patet: quia quod nullo modo cognitum est, nec cognosci potuit adhibita morali diligentia, nullo modo voluntarium est, ac proinde nec peccatum. Sic à mortali excusari potest homicidium in ebrietate commissum ab eo, cui nihil omnino occurrit, quod excitaret dubitationem, vel timorem talis mali, sibi euenturi ex ebrietate; vel si aliquatenus dubitauerit aut timuerit, cautionem adhibuit humano modo sufficientem, ne quid tale contingeret.

Neq; obstat, quod id ipsum peccatum causam habeat omnino liberam, quia non ideo fuit effectus liber: utpote qui posita semel causâ non fuit amplius in hominis potestate; hausto enim largius vino, indeq; secuto rationis defectu; opera quæ in tali statu deinceps sequuntur, non sunt in libera hominis potestate; ac proinde nec sunt peccata: de quorum ratione est, vt à voluntate taliter pendeant, quod liberum sit eorum perpetrationem inchoare, vel non inchoare, inchoatamq; abrumperè, vel continuare: quod in ebrietate contingere nequit, ob eam quem diximus defectum vsum rationis.

61.

Notandum est sexto, contractus factos in ebrietate non valere, vt matrimonium, venditionem, emptionem, &c. Ebrius enim quando ebrius est, reputatur amens: atque ab

amente facti contractus, nulli sunt: vnde sequitur eum qui ab ebrio lucratur ludendo, aut dono aliquid accipit, teneri ad restitutionem. Sed aduerte ex Syluest. in verbo Ebrietas, qu. 5. istud esse intelligendū de ebrio proprie, seu qui omnino priuatus est vsum rationis: si enim adhuc habeat rationis vsum; possunt quidem valere esse ab ipso initi contractus: sed in foro exteriori dissoluantur: quia ebriosus succurri solet per misericordiam iuris (inquit idem auctor) quod nihilominus, ebrietatem ipsam non relinquit impunitam. Nam in cap. Episcopus, dist. 35. præcipitur, vt Episcopus aut Presbyter aut Diaconus ebrietati feruens deponatur: ceteri cõmunionem priuètur. Et in ead. dist. cap. vltimo habetur ex Conc. Agathensi: vt is quæ constituit ebrium fuisse, spatium 30. dierum à cõmunionem summoueat, aut corporali subdatur supplicio: & in cap. A crapula, De vita & honest. Cleric. statuitur vt Clerici ebriosi, vel qui alios ad ebrietatem incitant, vel ad æquales haustus se obligant nisi admoniti emendauerint se, suspèdantur ab officio vel beneficio. Quas pœnas & alias eiusmodi à Summis Pontificibus, aut sacris Concilijs constitutas Concil. Trid. sess. 22. cap. 1. De reform. præcipit ad vsum reuocari ab Ordinarijs; ac etiam maiores imponi.

De difficultate an ebrius irregularitatem incurrat committendo homicidium, dicitur commodius in sequenti lib. 30. tract. 2. qui erit de irregularitate, vt impedimento Sacramenti ordinis.

De filiabus gula.

SECTIO VLTIMA.

Gula constituitur vnus ex peccatis capitalibus, ex quo nascuntur quinque, quasi filiz, hebetudo mentis, inepta lætitia, stultiloquium, scurrilitas, & immunditia: quæ à D. Gregorio traditæ in lib. 31. moral. ca. 31. explicatur à D. Thoma 2. 2. quæst. 148. art. 5. & 6. Ex immodico igitur cibi & potus vsu, in quo gula consistit, nascitur in mente hebetudo: tum ratione vaporum quibus oppletur cerebrum, tum ratione delectationis superflua, cum eodem vsu coniungatur: ex qua fit, vt mens ipsa sit, vt dicitur, in patinis. Mens vero hebetata cum non percipiat altiora, conuiescit in prædicta delectatione, tanquam in participatione quadam beatitudinis: indeq; provenit in appetitu lætitia inepta; quæ in risu & alijs id genus signis ostenditur. Prouenit præterea in ore: tum stultiloquium, tum scurrilitas: stultiloquium quidem, quia mens dum nimis intenta voluptati ex cibo & potu perceptæ, non considerat quid dici debeat, fit vt temere dicatur quidquid venit in buccam. Scurrilitas vero, quia ex inepta lætitia sequitur vt multa indecora, ac etiam turpia agantur aut dicantur, risus mouendi gratia. Deniq; gula parit in corpore immunditiam: quia ex ingluſiæ, luxuria nata est sequitur iam notauimus initio huius capituli: tum quia excessus in cibo & potu, sæpe parit vomitus, & alias fœdas superfluum excretiones.

Cæterum vt gula ipsa, sic & istiusmodi filiz ipsius, peccata sunt suo genere venialia: excepta immunditia, quatenus tunc contrahit malitiam, luxuriæ quando hanc parit. Quatenus autè parit vomitus quamuis aliqui existimarint tunc quoq; esse peccatum de se mortale, contrarium tamen tene-

ri posse antea numero 54. do-

cuimus.

**

L A V S D E O.